
AD

EPIST: FAMILIAREM
EXIMII PATRIS
CHRISTIANI LUPI
Ordinis Erem. S. Augustini S. Theol. Doctoris

RESPONSIO
IN QUA

Attritionis cum Sacramento sufficientia magis stabilitur, confutatis iis, quæ de novo opponit.

AUTHORE
MAXIMILIANO LE DENT
WINOCIBERGENSI,
Societatis JESU S. Th. Professore
LOVANII.





MECHLINIÆ,
Typis GISBERTI LINTSII Sub Signo Typographiæ 1668.
Cum gratia & Privilegio Regis.

1

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

SUb initium anni M.DC. LXVII. edideram Tractatum de Attritione ex metu gehennæ, quo eam cum Sacramento Pœnitentiæ ad justificationem sufficere ostenderem, eaque dissolverem, quæ pro contrariâ sententiâ adducta fuerant à duobus Exim. PP. Ord. Erem. S.Augustini hujus Academię Doctoribus, *P.Christiano Lupo* & *P.Francisco Farvacques.* In illo Tractatu varia notaveram Doctrinæ capita, sive ab *Exim. P. Christiano Lupo* tradita, sive ex ipsius assertis necessariò consequentia. Ob hæc coactus fuit P. Lupus, ut ipsemet fatetur, de obortis suspicionibus sese expurgare, deplorans jacturam temporis, suamque infelicitatem. Id agere conatus est in libello, quem EPISTOLÆ FAMILIARIS, ad quemdam in Italia ejusdem Ordinis Doctorem, titulo donavit. Pleraque in hoc opusculo tradit ordine adeo perturbato, ac si studium fuisset rem involvere ac obscurare. Ad plurima in Tract. de Attritione à me deducta nihil omnino respondet: Argumenta tùm à ratione, tum ex Patrum testimoniis petita, quibus probavi Attritionis ex metu laudabilitatem, supernaturalitatem, vim ad excludenda quævis peccata etiam interna, ac demum illius cum Sacramentis Baptismi ac Pœnitentiæ sufficientiam ad abolenda peccata &c, hæc, inquam, omnia relinquit omnino intacta. Explicationes ad objecta D. Augustini testimonia à me traditas, ac ferme ex ipso Augustino petitas, ne in minimo quidem tentavit convellere; quæ tamen omnia, antequam aliud ageret, erant infringenda, & hac ratione ostendendum SS. Patres à se stare, quod multi hic indies nullo facto Patrum examine declamant. Verùm propositum fuit P. Lupo, ut ipsemet loquitur cap. 5. *Aliquot purgare articulos, reliquos divino judicio, & benigno lectoris animo commendare.*

mendare.

mendare. Duo igitur in Epiſtola ſuâ Familiari præcipuè agit P. Lupus. Primum eſt, novos proferre ſuis, ut arbitratur, ſententiis faventes Authores; quin & eaſdem S. Scripturæ etiam ac Conciliorum authoritatibus fulcire. Alterum, quædam accuſationis, ut vocat, capita expurgare, ſeu illa, quæ ab ipſo tradi, vel ex his legitimè conſequi aſſerui, diluere. Horum neutrum aſſecutus eſt. Nam, quod ad primum attinet, ea producit S. Scripturæ teſtimonia, quæ juxta communem Interpretum explicationem intellectæ, non tangunt punctum, in cujus probationem adferuntur. Ex Authoribus verò, quos in ſuum ſubſidium advocat plurimos, nullus eſt, qui ipſi liquidò faveat, quin ex illis non pauci nobis patrocinantur, alii perperam omnino & extra rem adferuntur, ut in decurſu Lectori fiet manifeſtum. Quoad partem alteram, duodecim proponit ſibi à me objectas accuſationes, ac fusè de illis tractat. Quemnam autem in toto hoc diſcurſu ſcopum ſibi præfixerit, non eſt facile aſſequi: nam ſi initium capitis quinti Epiſtolæ, & ſubſequentes titulos ſpectes, non dubitabis, quin eo loco intenderit refutare fœdos errores & calumnias, quibus ſuum à me ſcriptum fuiſſe circumveſtitum, Epiſtolæ ſuæ principio conqueritur: credes ipſum oſtenſurum, perperam à me aſſertam eſſe ac ſtabilitam ejus in quibuſdam punctis cum Lutheri doctrina conſonantiam. Verùm ubi attentè legeris, quæ dictis titulis ſubjicit, arbitraberis alium planè fuiſſe ipſi propoſitum ſcopum: nam ne in uno quidem puncto oſtendit, aut ſuam doctrinam non eſſe, quam ipſius eſſe aſſerui; aut non rectè ex ea ſequi eorum aliquid, quod inde conſequi probavi; aut denique ſe in doctrina ab iis diſſidere, quibus conformia docuiſſe monſtravi. Unde paſſim liquidò admittit, quæ ab ipſo dicta aut ex his conſequi affirmavi. Imò circa præcipuam illam quæſtionem; An nimirum timor gehennæ, citra Dei propter ſe dilectionem, malus ſit ac peccaminoſus, quod ab illo affirmatum oſtendi, licet ipſe hoc præci-

puè videri velit à se amoliri; attamen non tantùm non ostendit, illum actum non esse in Dissertatione Dogmat: à se malitiæ accusatum, sed longè clariùs ac manifestiùs, quàm antea fecerat, timorem illum malum ac mortaliter peccaminosum pronuntiat in Epistolâ suâ Familiari, prout ex dicendis Lector judicabit. Mirabuntur fortè aliqui, exspectatione suâ seriùs prodire hanc Responsionem : Verùm mirari desinent, ubi sciverint illam P. Lupi Epistolam Familiarem vulgari quidem cœptam mense Majo, sed tertio aut quarto ab exortu die fuisse suppressam. Hinc factum, ut respondendi cogitationem tunc vel planè deposuerim, vel saltem suspenderim, arbitratus operæ pretium non esse, publico scripto respondere ad libellum vix inter paucos divulgatum. Donec tandem circa initium Octobris intellexi dictam Epistolam liberè rursus ac palàm venum expositam, quo tempore intermissam diu cogitationem resumpsi, cœpique responsionem hanc concinnare.

INDEX

CAPITUM ET PARAGRAPHORUM.

CAP.

FACULTAS

R.P. PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Societatis JESU Provinciæ Flandro-Belgicæ Provincialis, potestate mihi ad hoc factâ ab admodum R.P. nostro JOANNE PAULO OLIVA Præposito Generali ejusdem Societatis, concedo *Gisberto Lintsio* Typographo jurato Facultatem typis mandandi libellum, cui Titulus est: *Ad Epistolam Familiarem Eximii P. Christiani Lupi Responsio A.R.P. Maximiliano le Dent* Societatis nostræ Theologo scriptum, & à Deputatis ejusdem Societatis examinatum & approbatum. In quorum fidem has manu meâ subscriptas & officii mei sigillo munitas dedi Antverpiæ 19. Januarii 1668.

THOMAS DEKENS.

APPROBATIO CENSORIS.

E*Ruditâ Responsione, & sanæ doctrinæ conformi R. P. Maximiliani le Dent* Societatis JESU S. Theol. *Professoris Lovanii, ad* Epistolam Familiarem *Eximii P. Christiani Lupi Ord. Erem S. Augustini S. Theol. Doctoris, à me diligenter perlectâ, concedo licentiam imprimendi. Actum Brugis* 8. *Januarii* 1668.

J. Herm. Anchemant Ecclesiæ Cathedr. Brugensis Canonicus graduatus ac libr. Censor.

INDULTI REGII

CAROLI II. Hiſpaniarum & Indiarum Regis Catholici & Belgarum Principis indulto, licentia conceſſa eſt P. Maximiliano le Dent Societatis JESU S. Th. Profeſſori Lovanii, in lucem edendi librum à ſe compoſitum, cui Titulus eſt: *Ad Epiſtolam Familiarem Exim. P. Chriſtiani Lupi &c. Reſponſio:* Cautumque, ne quis illi ſuper eo moleſtiam faceſſat. Ut latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 16. Januarii anno 1668.

SIGNAT.

ROUTART.

AD EPISTOLAM FAMILIAREM RESPONSIO PRO ATTRITIONE

CAPUT PRIMUM.

Præmittuntur aliqua ex Epistola familiari, quæ ad institutam quæstionem non faciunt.

HÆc quia non possunt sine recti cursus & ordinis perturbatione ac confusione sequentibus interseri, judicavi hîc præmittenda, quia pleraque ex primo epistolæ illius capite sunt desumpta.

1. Orditur P. Lupus epistolam suam ab encomio illorum, qui in hac Lovaniensi Academia, Lutheri, ejusque sequacium erroribus fortiter restiterunt. Fuerunt sine dubio viri illi omni laude majores, Driedo, Latomus, Tapperus per Antonomasiam dictus Decanus Lovaniensis, aliique plures; quorum in asserenda fidei integritate, propugnandaque Christi Vicarii authoritate utilissimos labores, junctamque cum eximia doctrina modestiam, meritò docti omnes admirantur. Non dubito, quin illorum votum fuerit, *ut Patrum corda viverent in filiis*, suoque sudore partam huic Academiæ æstimationem posteri magis indies magisque augerent, nec paterentur pristinam gloriam ulla minus sanæ doctrinæ labe infuscari. Idem hoc est omnium nostrûm votum.

2. Hinc in Siciliam digreditur è longinquo hostem sibi è Societate nostra quæsiturus. *Duram*, inquit, *nobis luctam fecit quispiam è Regularibus, quos de Domini JESU Societate vocant, Clericis homo siculus, Thomas Tamburinus cujus* EXPEDITA, *uti inscribitur,* DECALOGI EXPLICATIO *huc deportata fuit, & typis vulgata apud Insulas. Est compedita, non expedita explicatio: humanum genus non à multo, uti tentat, Divinarum ac humanarum legum juge, sed in miserandum ipsarum contemptum, ac libertinam prævaricationem expedit......*

multa etiam de maximis mandatis solvit, & sic docet homines &c. Quin & Siciliæ interitum ob Tamburini doctrinam metuit P. Lupus, præcipuè, ut apparet, ob sententiam circa obligationem per se amoris Dei. Quid in hoc puncto, & cum quibus docuerit Tamburinus, exhibet Eruditiss. & Consultiss. D. Nicolaus Du Bois in doctissimo suo ad 45. propositiones tractatu. Item Andreas Mendo, aliique, apud quos plurimos reperies à Sinnichio aliisque perperam accusatos. Sed cur idem non metuit aliis regionibus, in quibus docuere & scripsere illi, qui teste Morino lib. 8. de Pænit. cap. 4. Amoris Dei propter se dilecti obligationem per se, diu ante negarunt. Circumspice, quæso, regiones & Universitates singulas; vix paucissimas invenies, in quibus Dogmata sine comparatione pejora non quandoque ab aliquibus sint tradita, etiam blasphema & hæretica. An quisquam est, qui ob doctrinam etiam adeo perversam à quibusdam traditam, illis locis exitium vereatur? Crediderim nec P. Lupum id metuere.

Plurima hic dici possent nisi propositum esset, ea, quæ extra rem, de qua tractamus, in epistola familiari dicuntur, breviter tantùm proponere.

3. Hoc tamen omittere nequeo, quod nempe pleraque vel omnia, quæ in Tamburino graviter censurant, & idcirco convitiis passim proscindunt, in hac ipsa Universitate sint in publicis scholis defensa, & ab iis ipsis non raro, qui ea in Tamburino censurarunt. Pauca è multis dabo.

Sinnichius in Saule Ex-Rege pag. 466. reprobat hanc ex Tamburino positionem: *Justè damnatus, ut fame pereat, potest oblatum cibum respuere.* Eadem tamen publicè hic in Hallis defensa est 10. Martii. 1657. Præside Exim. D. Gerardo van Werm, his verbis: *possunt tamen damnati, ut fame pereant, à cibo clam oblato abstinere.* Cur ergo hanc doctrinam, si execrabilis est (ut eam vocat Sinnichius) non reprobavit æquè in hoc suo Collega. Eandem sententiam reperies in Thesibus Anno 1614. April. 10. & Anno 1648. Iulii 9. defensis in Collegio Regio & Pontificio.

Idem auctor pag. 526. reprobat hanc sententiam: *permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Eandem sententiam Anno 1657. ad instantiam Antonii Episcopi Gandavensis, censuravit cum Facultate Theologica Exim. D. Gerardus van Werm pro tempore Decanus Facultatis, his verbis. *Furari nullo casu permissum est, quia intrinsecè malum: surripere autem alienum, permissum quidem est in extrema necessitate, quando aliter haberi non potest: sed illud extendere indefinitè ad necessitatem gravem, est dare ansam pauperibus ad passim furandum.*

Supra

Supra dictam propositionem Sinnichius attribuit Tamburino ad marginem citato, hic tamen non utitur verbo *furari*, sed *surripere* quamquam si dixisset *furari*, non poterat in eo culpari; cum verbo *furari* utatur D. Thomas apud Sinnichium, Fortunius Garcias, aliique, præsertim Juristæ, asserentes, licere furari in extrema necessitate. Unde tota in præsenti accusatio Tamburini esse potest, quòd dicat, licere alienum surripere in gravi necessitate.

Eandem cum Tamburino sententiam docuit ipse Sinnichius in Thesibus defensis 3. Feb. 1648. *Probabile censemus non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate morbi, famis, nuditatis, posse te clanculum surripere.* Et Exim. D. van Werm 17. Junii, 1653. *Probabile est non tantùm in necessitate, quæ absolutè extrema est, sed etiam in valde gravi, licitum esse pauperi auferre illud, quo indiget.* Et Exim. D. Laurent in Thesi 15. Febr. 1661. asserit, non teneri restituere rem acceptam, qui constitutus est in extrema aut gravi necessitate. Idem tradit Exim. D. Vianen 2. Septemb. 1665.

Acceptum ad patrandum maleficium, opere peracto restitui minime debere, tradit Exim. D. Vianen 2. Septemb. 1665. idem habet Thesis Anni 1619. Jul. 18. Hanc eandem sententiam in Tamburino reprobat Sinnichius pag. 452. Col. 2. eam vocans falsam, absurdam & perniciosam, & rursus pag. 525.

4. Sinnichius in Saule pag. 359. col. 1. asserit, cum libertinorum dogmate symbolizare hanc Tamburini assertionem: *Cum tibi menti non occurrat illud esse peccatum, nec ullum dubium de indaganda veritate; jam laboras inculpabili conscientiâ per oblivionem seu inadvertentiam, à quibus excusari operantem, perinde ac ab ignorantia, innui supra.* Similiter Facultas Theologica Lovaniensis Anno 1657. Maii. 4. huic propositioni 25. *Ut actio quapiam sit peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine, qui nescit & percipit, quid boni, malive in ea sit: & antequam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona est neque mala.* Huic, inquam, propositioni hanc apponit censuram: *est contra communia Christianæ Theologiæ principia, & innumera, etiam immanissima, hominum peccata excusat cum pernicie animarum.*

Et tamen biennio post, nempe Anno 1659. Nov. 6. eandem propositionem in Thesibus tradit Exim D. Jacobus Pontanus his verbis: *Ad hoc ut quis incurrat peccatum mortale, requiritur plena & perfecta cogitatio, seu expressa advertentia malitiæ, vel periculi ejus, vel saltem expressa aliqua dubitatio seu scrupulus peccati; unde à peccato excusatur, qui aliquo die non jejunat, nihil omnino cogitans, vel dubitans de jejunio in tali die: similiter excusatur, qui celebrat* CONTRACTVM VSVRARIVM *nullo modo dubitans, vel advertens* VSVRARIVM *esse.*

5. Acerrime invehitur passim Sinnichius in Saule contra usum licitum sententiæ verè probabilis à Tamburino aliisque authoribus ferè unanimi cônsensu assertum;& ex ejus Collegis indies non pauci, illius sententiæ patronos vix alio nomine compellant, quam Probabilistarum, Laxonum, Palponum &c.Mirum profectò quod se ipsum, suosque Collegas illis titulis non insignierit.

Nam ipse Sinnichius paucis ante editum Saulem Annis nempe 11. Maii 1655. hanc ponit Thesim: *Cum conscientia probabili licitè operamur: unde inter opiniones probabiles, non est semper necessarium sequi opinionem probabiliorem vel magis tutam, sed satis est sequi opinionem verè, tametsi minus probabilem & minus tutam, relictâ etiam propriâ probabiliori & tutiori.* Et Exim. D.Pontanus 2. Decemb. 1650. *prudenter agis sequendo sententiam probabilem, etiam relictâ probabiliori & tutiori, nisi charitas obstet aut justitia.* Idem 6.Novembr. 1659. *Quando ab utraque parte sunt probabiles sententiæ, etiam quarum una probabilior est alterâ, quamlibet sine peccato poteris sequi, non tamen semper.* Similia habes thesibus 21. Ianuarii 1647. & 7. Novemb. 1656 aliisque. Huc etim spectat qnod in thesibus 26. Augusti, 1656. sustinet Exim. D. van Werm: *Tenetur confessarius sub mortali, absolvere pœnitentem, qui minùs probabilem sententiam sequitur, modò verè probabilis sit, & ipse eam talem judicet, esto contrarium apud se teneat:* hanc tamen suam assertionem videtur falsitatis damnare 13. Septemb. 1666.

Hanc propositionem: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex gratitudine & benevolentia debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum:* in aliis reprobat Sinnichius pag. 530. col. 1. & Facultas Lovaniensis anno 1657. notat hâc censurâ: *Hæc assertio periculosa est, & serviens ad excusandum, & palliandum usuras de jure præsumptas.* Ipse nihilominus Exim. D. van Werm, tunc, cum hæc censurarentur, Facultatis Theologicæ Decanus, biennio ante eandem sententiam tradiderat, nempe 22. Octob. 1655. ubi cum dixisset illicitum esse mutuanti adjicere pactum colendi agrum, præstandi beneficium à lingua, manu &c. si inducatur stricta obligatio; *secus*, inquit, *si tantum sit obligatio gratitudinis.* Eandem defendit 19. Iulii Exim. P. Athanasius Maigretius.

6. Atque hæc sunt pauca de plurimis, datâ à P. Lupo occasione, breviter tacta. Si proprius esset locus, facile mihi esset exhibere sequentes assertiones in impressis thesibus à Doctoribus hujus Academiæ traditas: ut, quòd occidi possit is, qui per calumniam apud judicem machinatur mortem. Quod licita sit compensatio occulta. Quòd interrogatus contra juris ordinem de suo crimine, possit dicere; non feci. Quod vir nobilis possit occidere aggressorem, à quo ignominiosè pugno.

no aut baculo invaditur. Quòd præcepto communionis annuæ satisfiat per communionem sacrilegam, uti & præcepto confessionis per confessionem sacrilegam, si hæc detur valida & informis; aliasque his similes, quarum si unam alteramve in Auctore quopiam non domestico deprehenderint; graviter aliqui, & non sine convitio censurant.

Quęro jam ab adversario, cur hi omnes luctam nullam huic Academię pepererint, docentes ea, quæ in Tamburino ab ipsis reprobantur?

7. Cur luctam non peperit ipse P. Lupus, qui in suis pro Theologiæ Magisterio thesibus 19. Aug: 1651. sic habet: *Hinc* NVLLA *nobis, quæ tota in Adam periit, atque naturæ nostræ plagas reparare inhabilis est,* GRATIA SVFFICIENS. Et rursus: *Nihilominus uti omne carnalis concupiscentiæ, ita quoque omne vitiosæ originalis ignorantiæ germen est proprii nominis peccatum.*

Cur luctam non peperit Fromondus, dum 16. Martii & 21. Maii 1647. 27. Iulii 1648. 24. Oct. 1650. defendit: *ut daret animam suam redemptionem pro multis; omnibus scilicet &* SOLIS ELECTIS. Idem habent Theses sub Sinnichio 17. Aug. & 4. Sept. 1648. 30. Ianuarii 1649. 8. Oct. 1652.

8. Exim. D. Gerardus van Werm post editam Bullam Innocentii X. publicè proposuit sequentes assertiones: 29. Aug: 1654. *Quia natura nostra per peccatum originale gratuitis spoliata nascitur, & in naturalibus valde vulnerata & debilitata est: ideo non solum sine quacumque gratia, sed nec sine* GRATIA EX SE, ET EX VI MOVENDI SIBI INTRINSECA EFFICACI *ullam umquam actionem salutarem exercebit, sed quandocumque absque tali gratia liberè aget, semper peccabit.* Et rursus infra: *Licet omnem gratiam huic statui appropriatam efficacem statuamus &c. merè sufficientem nunc dari non existimamus.* Et 16. Decemb. eodem anno: TRADIDIT ILLOS DEVS IN DESIDERIA CORDIS EORVM. *Quibus, etsi gratiâ ad ea superanda necessariâ carerent; liberè tamen succubuerunt & succumbendo peccaverunt.* Item 9. Aug. 1656. hanc Baianam defendit: *Gratia ita debita fuit naturæ rationali ante lapsum, ut sine ea condi non potuerit.* Et 26. Aug. ejusdem anni: *Confitentes Religiosis privilegiatis non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ de annua confessione.* Quæ assertio repugnat plurium Pontificum Decretis, & totius Ecclesiæ praxi. Cur ob hæc omnia nulla huic Academiæ lucta, nulla controversia?

Denique, ut absolvam, 13. Octobr. 1667. sub Exim. D. Andrea Laurent defensa est hæc propositio: HVMILIATVM EST IN LABORIBVS COR EORVM, INFIRMATI SVNT, NEC FVIT QVI ADIVVARET. Humiliantur sæpè *homines in laboribus tentationum per experimenta*

impossibilitatis suæ, dum inveniunt se sine Dei adjutorio ad illas vincendas nihil posse. Subtrahit autem quandoque Deus etiam sanctis ac fidelibus suis auxilia, ad custodiendam justitiam, aut accurrenti tentationi resistendum necessaria. Huic conforme est, quod habetur in Thesi sub eodem defensa 21. Julii 1653. *Frustra & sine sufficienti fundamento ad liberè peccandum omnibus ad manum offerri fingitur possibilitatis auxilium.* Plura hujus generis proferre possem. Mirum profectò est, quòd aliqui hujus Academiæ Doctores, qui tam faciles sunt in censurandis alienis, nihil in his omnibus viderint, quod luctam ipsis faceret.

Respondebunt sat scio, quod & aliàs eos respondisse intellexi, ea quæ Thesibus publicis defenduntur, non præsidentium, sed discipulorum esse sententias, quare ex his non rectè colligi, quid sentiant hujus Academiæ Doctores.

Respondeo 1. ita sit: discipulorum eæ sint, non vestræ sententiæ. Nonne idipsum de Tamburini assertionibus poteratis dixisse, illius nempe esse, non vestras? longè facilius in hoc vobis quilibet crederet. Quid ergo vobis curæ erat, aut cur luctam huic Universitati fecit Tamburinus? verùm, inquies, laxos docebat & Christianæ disciplinæ corruptivos articulos. Itane vero? atqui illos ipsos ferè omnes proposuerunt in publicis disputationibus, si non Doctores (quod hic dissimulo) saltem sub eorum præsidio illorum discipuli. An fortè vobis curæ non est quid vestri discipuli sentiant; & interim curæ est quid Siculus quispiam vel Gallus vestræ disciplinæ minimè subjectus doceat aut scribat? An in discipulis, quos disciplinæ vestræ subjectos uno nutu facillimum vobis esset emendare, dissimulatis illa, quæ in extraneis non sine conviciis carpitis; apud quos, licet paratissimi sint aut legitimæ auctoritati aliter jubenti, aut solidis rationibus in oppositum allatis cedere, non tamen tanti est hujus Academiæ auctoritas, ut ob vestram censuram, aut Laxonis, Palponis, & similia nomina, vel in minimo à sententiis decedant, quas veras putant, & solidè probant? Credite mihi, non adeo cæci sunt plerique mortales, quin satis intelligant, hæc omnia non ex zelo puritatis doctrinæ, quam prætenditis, sed ex sinistro in quosdam affectu originem traxisse.

Resp. 2. Responsionem illam vestro testimonio enervari: Scitis enim ni fallor quo loco ita scripserit Facultas: Quisque Doctorum Facultatis, in sua admissione, sive ad latum Concilium, sive ad strictum Collegium jurejurando se obstringit, ad abstinendum à doctrina circa fidem & mores, quam Facultas concorditer determinaverit non esse communiter tenendam; sit ergo ex discipulis alterius Scholæ, qui in suis

ſuis Theſibus defendere velit aſſertionem, quam facultas omnino improbat; ſuiſque in Scholis defendi vetat. Quid faciet hic Diſputationum Preſes? certè non poterit tales Theſes approbare, vel ſub ſuo patrocinio defendi permittere, niſi velit contra ſuum juramentum jam ſupra memoratum pejerare. Ergo Præſidum eſt Theſes, & quæ in iis contenta ſunt approbare, quod dum facitis, oſtenditis doctrinam illis contentam, ſanam ut minimum eſſe, quæque meritò tolerari poſſit, quamque Facultas non improbet. Cur ergo quam talem oſtenditis, dum approbatis, in aliis tam vehementer carpitis? Palam etiam omnibus conſtat, ſæpiſſime oblatas à Theologis Theſes, per Præſides variè truncari & mutari; quare, dum jam relatas ſententias paſſi ſunt hujus Academiæ Doctores, intactas imprimi & defendi, clarè oſtendunt olim ſibi ſuiſque collegis placuiſſe, vel ſaltem non diſplicuiſſe ea, quæ jam in aliis acerrimè carpunt ac cenſurant.

Reſp. 3. plurimæ ex ſententiis, quas in Tamburino notatis, traditæ ſunt, ut alios taceam, à veſtris prædeceſſoribus in libris editis, hi tamen nullam luctam Univerſitati fecerunt: cur ergo Tamburinus?

10. E Sicilia in Belgium reverſus P. Lupus, Flandricum puerorum Catechiſmum producit editum Gandavi 1651. hoc ei in illo diſplicet, quod dicatur, Attritio ex metu gehennæ concepta ſufficere cum Sacramento. Illum Catechiſmum ſæpius à ſe relectum approbavit Carolus tunc Gandenſium Epiſcopus: unde miror hunc libellum à P. Lupo dici *abolitum & circumſcriptum*. Sed à quo? certè non ab Epiſcopo, non à S. Congregatione: An fortè à Parochis Gandenſibus, aut Facultate Lovanienſi? An penes hos cenſet eſſe auctoritatem cenſurandi, etiam ea, quæ ab Epiſcopis ſunt approbata? Reſponſum diffeio, donec nos docuerit, qui & cujus in hac parte authoritatis ſint, per quos dictus Catechiſmus abolitus eſt & circumſcriptus.

11 Capite 1. & rurſus 4. erumpit in fauſtas acclamationes & laudes SS. D. N. Alexandri VII. S. M. ob quoſdam Theologiæ moralis articulos nuper proſcriptos: libenter meas jungo meritiſſimo & nunquam ſatis laudando Pontifici. Unum diſplicet, quod cum P. Lupus illic meritò commendet & extollat illius Pontificis in eradicanda non bona doctrina curam, laudem ei dederit nimis diminutam, eam nempe reſtringens ad ſolos articulos Theologiæ Moralis. Sane non minorem meretur ob confirmatam & innovatam conſtitutionem Innocentii X. de quinque Propoſitionibus in materia fidei, & declarationem factam contra *nonnullos iniquitatis filios*, ut loquitur in ſua bulla Alexander VII. neque enim inferioris laudis eſt, ſententias impias, hæreticas &c. proſcripſiſſe,

iiſque

iiſque purgaſſe eccleſiam, ac Pontificiæ definitionis non ſatis reverentes coërcuiſſe, quàm alias propoſitiones, nulla ſimili cenſura notatas, arcuiſſe à Theologorum ſcriptis & cathedris.

CAPUT II.

Quibus titulis ſuam, quibus noſtram ſententiam inſigniat Adverſarius.

12 PLuribus verbis inculcat P. Lupus, in ſententiæ cujuſpiam controverſiâ abeſſe utrimque debere *graſſantem verborum pugnam, & caninam facundiam: exagitantis ſtyli libidinem, amari zeli fœtum: omnem maledicentiam &c. Luminoſam charitatem, uti non cogitationis, ita longè minus habenas calami permittere in proximum laxari.* Quæ deducit pag. 6. 8. 9. 50 Refert inter cætera Joannem Ravennæ Epiſcopum, quòd vel famulos ſuos inconcinnis titularet elogiis, à Gregorio Magno graviſſimè fuiſſe increpitum: ſine dubio magis ægrè tuliſſet S. Pontifex, ſententias in Eccleſia receptas, Theologoſque earum aſſertores inconcinnis elogiis titulari.

Ego in hoc puncto ex animo P. Lupo aſſentior; quid enim turpius, quam viros doctos de ſententia quapiam controverſa inter ſe diſputantes, ad dicteria ac maledicentiæ tela confugere, quibus ſtupidiſſimus ferè quiſque optimè inſtructus eſt? Profectò ſi in inquirenda aſſerendaque puncti cujuſpiam controverſi veritate, ab utriuſque partis ſcriptoribus debita adhiberetur ſtyli modeſtia, & rationes ſolæ ac auctoritates producerentur, nullus, niſi fortè veritatis hoſtis, ægrè ferre poſſet, ſententiarum controverſarum ulterius indagari ac elucidari veritatem, ut eâ tandem ratione ad illam perveniatur.

13. Ipſe de ſe teſtatur P. Lupus ſe non recedere ab hocce monito S. Nili Abbatis; *Satius eſt temerè mittere lapidem, quàm verbum.* Dicit quòd *in ſpiritu manſuetudinis* ſe purget. Et pag. 9. ait ſe alioſque Doctores gaudere illo Epiſcoporum privilegio, quòd tamquam vexilliferi vehementius impetantur &c.

Quo admonitiones hæ ſpectent, aut de quo queratur P. Lupus ignoro: ſi de me, ad lectorem provoco, qui ubi utriuſque noſtrûm ſcripta legerit, ſententiam ferat, uter in ſtyli acerbitate, aut maledicentia excelſerit, & culpandus veniat. Hic interim lectoris oculis ſubjicio elogia, quibus in Epiſtola ſua familiari ſententiam noſtram exornat: ubi prius, quàm magnificè de ſua loquatur, oſtendero. Suam

14. Suam sententiam P. Lupus pag. 7. vocat *Apostolicum Christianitatis dogma*, Pag. 36. *unum ex immobilibus fidei Christianæ fundamentis*; quod rursus repetit Pag. 37. & 42. & alibi. Ait Pag. 28. *Ab avito SS Patrum intellectu scio me non deviasse*. Pag. 47. *Quòd servilis gehennarum metus sit judaica ex lege, non Christiana ex divinæ infusionis dono justitia, est Christiani dogmatis fundamentum adeo immobile, ut nullus orthodoxus usque huc legatur de illo vel dubitasse*. Pag. 48. quærit, an in Attritione involvi debeat Dei super omnia dilectio; & respondet: *Partem affirmativam constanter assevero, esse immobilem fidei Romanæ articulum, de quo usque ad Melchiorem Canum nemo fidelis dubitavit*. Et pag. 25. *Nihil lucidius ac frequentius inculcant Propheticæ, Evangelicæ, ac Apostolicæ Scripturæ, quàm, neminem adultum sine vera cordis per castam Dei dilectionem conversione justificari*. Denique pag. 57. asserit: *Hanc charitatis necessitatem esse Evangelicam & Apostolicam prædicationem*. Quid posset in hujus sententiæ commendationem dici magnificentius?

15. Videamus nunc, quodnam sit P. Lupi de nostrâ sententia judicium, & quibus illam exornet titulis.

Pag. 6 Supradictum Catechismum flandricum, quia in eo asseritur, Attritionem ex Gehennæ metu conceptam cum Sacramento sufficere, vocat *Catechismum scabiosum, corruptelam puerorum*. Ibidem communem de Attritione sententiam vocat *nugas paucorum*; *articulum profanum & unanimi SS. Patrum confessioni, Apostolicæque traditioni penitus adversum; ortum ex quorumdam desperatione*, pag. 7. Verùm leniora hæc sunt.

Gravissimè in hanc sententiam, ejusque Auctores insurgit pag. 8. ubi ait; *Impii in circuitu ambulant: impiorum præsertim caput diabolus, miserum humanum genus conatus semper circumducere in eosdem gyros erroris aut malæ voluntatis. Ejusmodi enim per ipsum spectacula cogimur & nos videre: productorum quidem monstrorum ridemus & nomen & formam; verùm ipsorum fabricatores, quòd fratres nostri sint etiam ex matre Catholica, non possumus non deflere*. Hæc in *spiritu mansuetudinis* P. Lupus.

16. Et rursus paulò infra. *Quisquis nos solo timore justificandos promittit, benedicti sanguinis exsufflat pretium, suadetque nos ex Christianis fieri* IUDÆOS. Hic de Judaismo conceptus etiam aliis placuit, unde & luculentius expressus est in Thesi publicè in Scholis Academicis defensa 14. Martii 1667. Præside Exim. D. Gerardo van Werm, conclus. 2. *Qui pœnitentiam salutarem absque interventu omnis charitatis actualis agi posse asserunt, non merentur* VEL NOMEN CHRISTIANORUM, *vel nomen filiorum novi Testamenti habere, sed potius cum* VULGO IUDÆORUM *olim nomen filiorum & servorum Testamenti veteris*. Ergo horum duorum judicio Latomus, Tapperus, Cunerus Petri, Mercerus, aliique ipsorum in hac Acade-

mia prædecessores (ut innumeros alios taceam) *Judæi* sunt, & nec digni *vel nomine Christianorum.*

Pag. 15. 30. & 44. nostram Attritionem vocat *merum fucum contritionis & conversionis.* Pag. 25. *portentosum dogma; scabiem paucorum.* Pag. 27. *monstrosam Attritionem, monstrosam pœnitentiam.* Ibidem asserit mortaliter peccare, qui cum nostra Attritione confitetur, etiam extra mortis periculum.

Pag. 26. Melchiorem Canum propter hanc Sententiam vocat *detestabilem,* utpote qui Lutheri de Ecclesia calumnias verificaverit. Nescio profectò, quo animo laturi sint Patres Ordinis S. Dominici, celeberrimum Doctorem suum à P. Lupo dici *detestabilem.*

17. Denique ut alia plurima prætercam pag. 28. nostræ sententiæ Authores appellat *hodiernos laxones.* Itane vero Fisscherus, Latomus, Tapperus, Cunerus Petri; Ilsembartus, Gammachæus, Sylvius, aliique viri doctissimi, etiam tui in hac Academia majores, hodierni laxones sunt? Erunt qui plus modestiæ, & erga tot tantosque viros reverentiæ meritò requirant. Verùm is jam apud quosdam hujus Academiæ Doctores usus obtinuit, ut suæ sententiæ contrarios Authores credant sese sufficienter (saltem apud sibi obnoxios) refutasse, si eos Laxones, Palpones &c. appellarint.

18. Lepidum mihi visum est, quod ait P. Lupus pag. 6. nempe sententiæ nostræ Authores *bellum inferre divinæ charitati.* Quàm enim hoc inaniter dicatur, nemo non videt. Quæro an P. Lupus, dum negat, cum Sacramento requiri charitatem perfectam, meritò dici possit, bellum inferre perfectæ charitati, hujusque vocari hostis? An qui asserit nuptias esse licitas, vocari meritò possit hostis castitatis? An si cuipiam [illegible] noceret, quod indies obligentur ad jejunium, hostis abstinentiæ censendus esset, qui eam obligationem negaret?

Ad dicta hactenus omnia responderi posset, quod olim in simili occasione respondit Augustinus lib. de unitate Ecclesiæ cap. 5. nempe; hæc & similia æquè facilè à nobis dici posse in illos, quàm ab illis in nos: Cæterum *hæc sive in illos à nobis, sive ab eis in nos dicantur, nisi prius probentur manifestissimis documentis, convitiante magis levitate, quàm convincente veritate dici, quis mediocriter sanus ignoret?*

19. Jam post Decretum S. D. N. Alexandri VII. S. M. necessarium omnino est, in hac de Attritione controversia, utrimque abstineri à ferenda in partem alteram censura. Nam in dicto decreto: *In virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ S. Sedi reservatæ, aliisque pœnis ejusdem S. Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis & singulis fidelibus*

fidelibus...... ut si deinceps de materia Attritionis scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut scholares cæterosve erudient; non audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ notâ taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter scholasticos COMMVNIOR *videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem.* Ecce in dicto decreto nostra sententia vocatur *communior:* quare minus rectè P. Lupus illam vocat *paucorum nugas: paucorum scabiem:* &c.

CAPUT III.

An nostra de Attritione sententia sit hesternum commentum?

20 EPistolæ familiaris capiti 4. hunc præfigit titulum P. Lupus: *Servilis Attritio ostenditur esse dumtaxat hesternum commentum.* Et infra ait, hanc opinionem esse adeo novam, ut de ipsa dici fermè queat; *earum homines adhuc ambulant.* Id non aliter probat quàm testimonio Joannis Morini, & Hugonis Matthoud affirmantium, primos hujus sententiæ Authores fuisse Melchiorem Canum & Henricum quemdam Salmanticensem.

Verùm hos adducere quid aliud est, quàm eos, quos falli scias, testes producere contra manifestam veritatem? Neque enim ignorare potuit P. Lupus, multos his duobus antiquiores nostram tradidisse.

Id enim citatis Doctorum verbis clarissimis ostendi in tract. de Attritione cap. 8. §. 4. & cap. 11. §. 8. Illic reperies Tapperum nobiscum sensisse, & antiquiores pro eâdem sententiâ citasse, Joannem Fisscherum Episcopum Roffensem suo aliorumque Catholicorum nomine asserentem, ad confessionem non requiri nisi Attritionem ex metu gehennæ procedentem sine charitate. Adduxi pro eadem sententia Tilmannum Segebergensem, Paulum Cortesium, Joannem à Daventria; denique his omnibus antiquiorem Gabrielem Biel testantem, hanc sententiam habere graves viros defensores.

Hisce duos adjicio, Durandum centum quinquaginta annis Gabriele antiquiorem, & Jacobum Latomum hujus Academiæ præstantissimum lumen.

21. Durandus in 4. dist. 17. quæst. 1. agens de dispositione ad justificationem impii, an nempe hæc sit simul cum justificatione, ita loqui-

tur: *Dispositio autem ex parte hominis est aliquando & ut plurimum imperfecta à principio, quando homo timore pœnæ incipit pœnitere de peccato: pœnitentia enim timore concipitur, solus autem timor non disponit sufficienter hominem ad salutem, seu ad justificationem. Et ideo talis dispositio præcedit justificationem, non solùm ratione, sed naturâ & tempore:* ET VOCATUR TALIS DISPOSITIO ATTRITIO: *Dispositio verò perfecta est, quando homo detestatur peccatum, non solùm timore pœnæ, sed quia est contra reverentiam & obedientiam Deo debitam, & quia separat à consortio Dei, quem summè debemus diligere, & vocatur* CONTRITIO, *sed talis dispositio simul est cum gratia in eodem instanti.* Et ejusdem distinct. quæst. 2. adducto simili illo apud veteres familiari desumpto ab attritione & contritione in rebus materialibus, subjungit: *Similiter quando voluntas hominis adhærens peccato premitur timore & consideratione pœnæ debitæ peccato, ob hoc resilit à peccato, dicitur* ATTRITA, *sed quando non solùm timore pœnæ &c. dicitur* CONTRITA. Timorem autem hunc excludere peccatum tradit quæst. 5. his verbis: *Timore pœnæ inferni vitatur culpa, hoc enim pertinet ad timorem servilem, ut homo peccare omittat, ne incurrat pœnam gehennæ.*

Ecce Durandus Attritionem sumit in eodem prorsus sensu, in quo nos illam accipimus.

Attritionis autem sic à se descriptæ & acceptæ sufficientiam ad justificationem cum Sacramento manifestè tradit dist. 18. quæst. 2. ubi hanc proponit quæstionem: utrum per potestatem clavium dimittatur culpa: quam hâc ratione dissolvit: *In pœnitente antequam actualiter suscipiat Sacramentum Pœnitentiæ, quandoque præcedit sufficiens dispositio delens culpam & conferens gratiam, & tunc Sacramentum superveniens culpam non aufert, quia non invenit, nec gratiam confert, sed priùs collatam auget. Quandoque verò non præcedit sufficiens contritio, quæ culpam deleat, sed* ATTRITIO, *quæ superveniente Sacramento virtute clavium efficitur sufficiens, & tunc per Sacramentum Pœnitentiæ actu susceptum, & deletur culpa, & confertur gratia. Et ita virtus clavium extendit se ad dimissionem culpæ, quando eam invenit, sicut & Baptismus.*

22. Jacobus Latomus in tractatu de secreta confessione pag. 107. col. 2. tractat illud, cur peccator contritus teneatur confiteri. Duas ejus rei adfert rationes; alteram, quia justificatio non obtinetur per contritionem, nisi quia hæc involvit votum Sacramenti, quod proinde suscipere obligatur, nisi obstet impossibilitas. Alteram, quia non æquè ad salutem valet sola voluntas Sacramenti, sicuti valet voluntas cum Sacramento: fieri enim posse, ut, qui sine culpa caret Sacramento, damnetur; qui salvus fuisset, Sacramento suscepto; cujus rei, inquit Latomus, testes sunt Augustinus, Leo, Cyprianus, & Fabianus, ac Patrum

Canones

Canones: hancque ulterius adfert rationem; quia Sacramentum Pœnitentiæ, etiam sine actu charitatis susceptum, prodest: sive, ut illo loco notatur in margine: *ante confessionem non requiritur charitas.* Sic ergo prosequitur Latomus: *Neque confessionem tibi credas futuram inutilem, nisi prius* GRATVITAM DEI DILECTIONEM, *& procedentem ex ea peccati dolorem adeptus fueris, & adeptum fuisse perceperis. Licet enim peccatum sine gratia non dimittatur, non oportet tamen talem* ACTVM GRATVITÆ DILECTIONIS *præcedere confessionem. Primò, quia is, qui ejusmodi actum amoris & pœnitentiæ habet, est extra periculum æternæ damnationis constitutus, ut nihil sit ei metuendum, qui citra culpam propriam sine Pœnitentiæ Sacramento decedit. Et tamen apertè dicunt Cyprianus & Augustinus, & sic tenere videtur Ecclesia Catholica, quosdam ex eo damnari, quod sine Sacramentis decesserint, qui fuissent salvati receptis Sacramentis decedentes. Nec de solis parvulis loquuntur, sed etiam de adultis Sacramenta non contemnentibus, sed desiderantibus & quærentibus.* Hoc loco sic arguit Latomus; datur in peccatore dolor aliquis, cui si non accedat Sacramentum, damnatur; accedente verò Sacramento salvatur. Atqui talis dispositio non est charitas, seu gratuita Dei dilectio; hanc enim qui habet, certò salvabitur, ergo ad Sacramentum Pœnitentiæ opus non est actu dilectionis.

23. Et rursus pag. 108. col. 2. *Igitur qui firmi propositi est abstinendi à peccatis, & de præteritis dolet eo dolore, quem Attritionem diximus, accedat cum fiducia & reverentia ad Pœnitentiæ Sacramentum per puram & integram confessionem, tamquam ad vasa gratiæ divinitus constituta ad humanæ fragilitatis subsidium & penuriæ supplementum. Hâc enim ratione non tam gravis, quàm amabilis peccatori debet videri confessio, ceu certa via ad gratiam veniam & absolutionem pertingendi. Et meo judicio, aliâ viâ ad* AMOREM DEI GRATVITVM, *& inde prodeuntem peccati dolorem ita conari pervenire, ut confiteri nolit Sacerdoti peccator, neque Pœnitentiæ adire Sacramentum, priusquam illum sciat, aut credat divino munere adeptum, est* INNITI SVÆ PRVDENTIÆ, DIVINVM SACRAMENTVM MINVS IVSTO ÆSTIMARE, DEVM ET SANCTAM EIVS ECCLESIAM OFFENDERE.

24. Deus bone! quantum ab antiquis hujus Academiæ Doctoribus discrepat P. Lupus: negat Latomus, Tapperus, aliique ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri amorem gratuitum seu amicitiæ: Hæc si desit, inquit P. Lupus, est *merus contritionis fucus.* Dicit Latomus; peccator sine illa dilectione accedat ad Sacramentum cum fiducia &c. E contra P. Lupus pag. 27. peccat, inquit, mortaliter, qui (etiam extra mortis articulum) sine castâ Dei super omnia dilectione ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit. Asserit Latomus ex sensu Patrum &

Ecclesiæ, quosdam damnari ex eo, quòd Sacramentum actu non suscipiant, licet id contingat sine illorum culpa; qui iidem salvi fuissent, si Sacramentum suscepissent. E contra P. Lupus pro justificatione cum Sacramento volens requiri amorem, statuit illum ipsum actum, si inculpabiliter desit copia Sacramenti, infallibiliter justificare ante mortem: de quo puncto plura infra cap. 13. Denique Latomus eos qui nolunt confiteri, nisi prius sentiant amorem Dei gratuitum, procedentemque ex illo peccati dolorem, tales, inquam, graviter redarguit tamquam minus debito Sacramentum æstimantes, & Deum Sanctamque Ecclesiam contemnentes. E contra P. Lupus sententiam requirentem castam Dei dilectionem ad Sacramentum vocat *Apostolicum Christianitatis dogma, Immobile Christianæ fidei fundamentum.* &c.

25. Hic eâdem operâ profero aliud Latomi testimonium, quod etiam pro dicendis infra de mente Lutheri non parvo erit usui: quod habet pag. 107. post verba supra relata, ubi sic pergit: *Verum est & indubitatum, bonam voluntatem sufficere ad salutem, ubi Sacramentum suscipere prohibet necessitas. Sed similiter verum est, non quamcumque bonam voluntatem ad salutem sufficere sine Sacramento, quæ sufficeret juncto Sacramento, sicut aliàs diffusius probavi respondendo Luthero circa articulum, quo dicebat Sacramenta non rectè suscipi, nisi à justis & Sanctis.* Ex quo testimonio sic formo argumentum: Asserit Latomus præter bonam voluntatem, quæ ad salutem sufficit sine Sacramento, dari aliam, quæ non sufficit ad salvandum hominem, seu ad liberandum damnatione, nisi juncta susceptioni actualis Sacramenti: atqui juxta eundem bona voluntas formata seu procedens à charitate seu actus gratuitæ dilectionis sufficit ad salutem sine Sacramento actuali, sive, ut loquitur hic Doctor, constituit hominem extra periculum æternæ damnationis, sic ut nihil sit ei metuendum, licet Sacramento citra propriam culpam careat. Ergo juxta Latomum bona voluntas, quę ad salutem sufficit juncta Sacramento actuali, non tamen sine illo, est ea, quę non est formata, seu procedens à charitate, seu amore Dei gratuito sive propter se dilecti. Subsumo: Atqui hoc ipsum dicit Latomus, se alibi diffusius probasse contra Lutherum, ergo censuit Lutherum rejecisse, tamquam cum Sacramento insufficientem, omnem illam bonam voluntatem, quæ ex amore seu dilectione non procederet; adeoque nostram Attritionem. In quo plenè concordat alteri illius temporis Scriptori Joanni Fischero Roffensi Episcopo, sic Lutherum alloquenti ad articulum 6. pag. 400 *Cum contritio potest duobus parari modis, hoc est vel per timoris, vel per amoris viam, tu timore posthabito solo vis amore contritionem à peccatoribus quæri.*

26. Ex

26. Ex iis quos tum hoc cap. tum in tract. de Attritione cap. 8. §. 4. & cap. 11. §. 8. retulimus, colligere licebit, quòd inter Auctores, qui aliquanto ante Tridentinæ Synodi tempora floruerunt, valde communis fuerit nostra de Attritione sententia. Nam in Anglia Roffensis eam tradit tamquam sententiam Catholicorum, quo indicat, ita tunc passim docuisse Catholicos. In Belgio Latomus non tantùm tradit hanc sententiam, sed eos insuper, qui amorem Dei propter se dilecti requirunt tamquam necessarium cum Sacramento, dicit inniti suæ prudentiæ, Sacramentum minus justo æstimare, & Deum ac Sanctam ejus Ecclesiam contemnere: quo loquendi modo usus minimè fuisset, nisi suam hanc sententiam judicasset communi Doctorum & Ecclesię sensu firmatam. Eandem tenuit Tapperus: denique in Germania tradidere varii.

27. Hinc confido fore, ut nemo imposterum dubitet, fuerintne ante Tridentinum, qui nostram sententiam tradiderint: nemo etiam, ut arbitror, primum hujus doctrinæ authorem statuet Melchiorem Canum, multo minus vocabit detestabilem, licet ad hunc illius sententiæ incunabula referant Joannes Morinus & Hugo Matthoud, re, ut manifestum est, non satis examinatâ? Quamquam Morinus tantùm dicat; *ante hos* (Canū & Henricum) *neminem legi, qui sic doceret, aut docere perhiberetur.*

28. Denique ex his evidenter refellitur, quod de nostra sententia ait P. Lupus pag. 13. *Dei namque Ecclesia, ac per ipsam probati, seu recentiores, seu antiqui Doctores de Attritione nihil tale umquam docuere.* Certè antiquiores illi Fisscherus, Latomus, aliique à nobis adducti probati authores sunt: Quod si recentiores voluero recensere, infinitus sim. Morinum audiamus l. 8. de pœnit: cap. 4. ubi post relatam, num. 1. nostram sententiam, de ea num. 2. sic loquitur: *Præ cæteris hanc opinionem celebrem, plurimisque ἐυπαράδεκτον reddiderunt duo Theologiæ Scholasticæ clarissima & famosissima lumina, Franciscus Suarez, & Gabriel Vasquez, quos numeri nunc sequuntur Theologi.* Eamdem sententiam hodie inter Scholasticos communiorem testatur Alexander VII. in Decreto 5. Maii 1667. supra: num. 19.

Eadem doctrina tradita fuit ab hujus Academiæ Doctoribus, tum in libris evulgatis, tum in Thesibus in publicis Universitatis Scholis defensis; eam manifestè tradidit Latomus, ut jam ostensum est: Item Tapperus, Cunerus Petri, Thomas Stapletonus, Mercus, quos adduxi in tractatu de Attritione cap. 11. §. 8.

29. Eamdem Doctrinam in publicis hic Thesibus defensam patebit eas evolventi: paucas hic subjicio.

Anno

Anno 1647. Maii 16. sic habet thesis in Scholis publicis defensa Præside Exim. P. Michaële Paludano: *Contritio alia est perfecta, alia imperfecta: illa detestatur peccatum ex amore Dei super omnia & peccatorem Deo reconciliat, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur..... Imperfecta, quæ & attritio dicitur, concipitur communiter ex metu gehennæ & pœnarum, aut ex consideratione turpitudinis peccati. Quæ ut subjectum suum ad gratiam in Sacramento suscipiendam sufficienter disponat, voluntatem peccandi excludat, & spem veniæ adjunctam habeat necesse est.* Et rursus 23. Augusti ejusdem anni: *Contritio imperfecta, quæ & Attritio nuncupatur, ex turpidine peccati vel metu gehennæ concipitur, sine Sacramento ad justitiam insufficiens, ad eam in ipso suscipiendam sufficienter disponit.* Ecce contra quantum sui ordinis virum, suumque in facultate stricta prædecessorem intorserit P. Lupus, quæ contra nos pronuntiavit de exsufflato Sanguinis Christi pretio, de Judaismo &c.

Addo Libertum Fromondum sub quo 10. Martii 1649. defensa est hæc propositio: *Contritio alia est perfecta, alia imperfecta; hæc, quæ & Attritio nuncupatur, ex turpitudine peccati consideratione, vel gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, estque dolor supernaturalis ex peccato conceptus sub motivo inferiori, quàm sit motivum Contritionis perfectæ; sine Sacramento ad justitiam insufficiens, ad eam tamen in ipso suscipiendam sufficienter disponit.* Et conclusione 2. ibidem: *Contritio perfecta est efficax dolor ac detestatio de peccato commisso propter contrarietatem ejus cum bonitate Dei: ea omnis, sive formalis sive virtualis fuerit justificat adultum, illumque Deo reconciliat, antequam Sacramentum realiter suscipiatur.* Eamdem nostram sententiam clarè expressam reperies in minoribus thesibus anni 1615. Julii 23. defendente Judoco Elinx & anni 1621. Octob. 7. defendente Henrico Berkenbosch. Eamdem sententiam defendi posse statuit Exim. D. Andreas Laurentii thes. 29. Martii. 1658.

30. At inquit P. Lupus: pag. 26. Epistolæ: *Authenticum dogma edere debet suorum natalium origines, Doctorum suorum ordinem usque ad ipsos Apostolos, atque ita ex decurrentibus ab initio successionibus demonstrare legitimam suam cum Evangelio consanguinitatem. Authenticum dogma nos à nostris Episcopis, hi à suis majoribus, illi acceperunt ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo.* Et rursus pag. 48. *Cur accusator pro suæ servilis Attritionis ad justificationem sufficientiâ nullum adduxit Prophetam, nullum Evangelistam, nullum Apostolum, nullum Ecclesiæ Patrem?*

Sed cum his P. Lupus non meminit Conciliorum, sed solos enumerat Prophetas, Apostolos & SS. Patres? Credideram sanè, me authenticos assignasse hujus veritatis natales, quando illam ex Synodo Tridentinâ

Tridentina manifestè probavi. At, inquit ibidem P. Lupus: *Certè Tridentina Synodus ab avita Patrum, Prophetarum & Apostolorum doctrina non potest recessisse.* Sic est; à Prophetarum & Apostolorum doctrina recessisse non potuit: verùm, dum nostram sententiam clarè tradit Synodus, evidens cuilibet Catholico argumentum est, nihil contra illam à Scriptura Sacra fuisse traditum. Et quia P. Lupus in sua dissertatione cap. 16. ex convenientia Tridentini cum Augustino colligit rectè loqui Tridentinum, produxi Augustinum idem nobiscum sentientem in tract. de Attritione cap. 8. §. 4. num. 174. Plures Patres nempe Augustinum, Cyprianum, Leonem, Fabianum ac Patrum Canones pro suâ hâc sententiâ produxit Latomus supra, addens sic quoque sentire Ecclesiam Catholicam. Non est ergo quod Patres à nobis requirat.

Quàm immeritò passim clamet P. Lupus suæ sententiæ favere S. Scripturam, & quàm perperam pro se citet Concilia, & alios Authores, duobus capitibus sequentibus examinabimus.

CAPUT IV.

Ostenditur nihil omnino favere sententiæ P. Lupi Scripturas, quas pro se adfert.

QUi verba P. Lupi relata supra cap. 2. quibus suam sententiam commendat, legerit, & nondum attenderit ad testimonia Scripturæ, quæ in dictorum probationem adfert, credet sine dubio, ejus sententiam adeò clarè in scriptura fundatam & expressam, quàm quod in ea testatissimũ est & expressissimum. Verùm longè aliter se rem habere, illaque ab ipso magnificè magis, quàm verè dicta esse, ex sequentibus fiet manifestum.

§. I.

Examinatur testimonium ex prima Joannis 3.

31. PRimus Scripturæ locus, in quo sententiam suam manifestè tradi censet, petitur ex 1. Joannes 3. v. 14. ex quo sic arguit pag. 8. *Certè S. Joannes Apostolus scribit, nos (utique per Christianæ Regenerationis Sacramentum) esse translatos de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Verùm quia satis advertit, hæc verba non esse efficacia, sequentia adjungit, tamquam nostræ controversiæ diremptivam sententiam. *Hæc est,*

 inquit

inquit, *definitiva ejusdem sententia*: QVI NON DILIGIT MANET IN MORTE.

Verùm hæc S. Joannis verba non tangunt punctum inter nos controversum, tantum abest, ut controversiam pro P. Lupo dirimant: & quidem quod ad priora Apostoli verba attinet: *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*, licet illic sermo esset de amore amicitiæ erga Deum, nihil juvaret ejus causam: ex eo enim quòd illi per talem dilectionis actum essent Justificationem consecuti, nullo modo sequitur, talem actum ad omnem Justificationem (etiam quæ fit vi Sacramenti) requiri. Hoc, ni fallor, fatebuntur ipsi Adversarii; ponamus enim Deum alicui revelare, quòd hic vel ille peccator sit justificatus, seu translatus de morte ad vitam, quia habuit contritionem perfectam, etiam eâ perfectione, quam requirit is, cum quo disputamus; certe qui hinc inferret: Ergo nemo justificatur etiam cum Sacramento, nisi eam contritionis perfectionem fuerit assecutus: æquè vitiosè argumentaretur, ac qui ex eo, quòd Apostolus de se dicat, misericordiam se consecutum, quia ignorans fecit; inferret; ergo nemo consequitur misericordiam, nisi qui ex simili ignorantia peccavit. Atque hæc, ut dixi, licet illic ageret S. Joannes de amore amicitiæ erga Deum.

32. Cæterum neque in illis verbis, neque in sequentibus, in quibus sententiam pro se definitivam contineri censet author Epistolæ familiaris, sermo est de amore amicitiæ erga Deum, sed de charitate erga proximum. Et hoc ipsum, cum pluribus respondi in tract. de Attrit: sed quia video id ipsi satis non esse, idem rursus hic objicienti, pluribus ostendo. Sensus verborum S. Joannis est, translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres nostros: qui non diligit fratrem, manet in morte. Manifestum id est tum ex contextu vulgatæ, tum ex textu Græco, qui *fratrem* ubique exprimit: μεταβεβήκαμεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν ὅτι ἀγαπῶμεν τοὺς ἀδελφούς. Ὁ μὴ ἀγαπῶν τὸν ἀδελφὸν, μένει ἐν τῷ θανάτῳ. Eodem modo versio syriaca: *translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres nostros: qui non diligit fratrem, manet in morte*. Eodem sensu præmiserat S. Joannes cap. 2. v. 10. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet.... qui autem odit fratrem suum, in tenebris est.*

33. Quare hunc Scripturæ locum de charitate fraterna exponunt passim omnes, & inter illos Fromondus hujus Academiæ Doctor: Imo & ipse Estius, qui cum asserat ad justificationem in Sacramento requiri contritionem antonomasticè dictam procedentem ex amore amicitiæ

amicitiæ in Deum, procul dubio avidissimè arripuisset ex hoc scripturæ testimonio suæ sententiæ fulcimentum, nisi eum aperta veritas convicisset, non posse S. Joannem intelligi eo modo, quo illum explicat P. Lupus.

34. Porro per dilectionem, seu charitatem proximi non intelligit hoc loco Apostolus actum positivum amoris amicitiæ erga proximum, sed tantùm negationem odii, & cujusvis injuriæ in proximum, ac insuper exhibitionem officiorum, quæ ex præcepto illi tenemur exhibere. Patet id ex eadem Epistola, in qua semper Apostolus illi, quam requirit, dilectioni opponit non carentiam actus positivi amoris, sed odium fratris, homicidium &c. sic c. 2. *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum in tenebris est.* Et c. 3. cum dixisset præceptum esse, ut diligamus invicem, subjungit v. 12. *Non sicut Cain qui occidit fratrem suum.* Denique c. 3. post illa verba: *Qui non diligit, manet in morte.* pergit; *omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Quæ verba priorum continent explicationem: & postea addit Apostolus, quòd debeamus pro fratribus animas ponere, illorum necessitatibus succurrere, & hac ratione non verbo, sed opere diligere.

Hic rursus, ut alios taceam, suffragantem habeo Estium, qui in hæc verba: QVI NON DILIGIT MANET IN MORTE, sic commentatur: *Qui non diligit fratrem, id est officia dilectionis, cum opus est, si non impendit; manet in morte, manens videlicet in eo, aut certè recidens in illud, in quo natus est, id est in peccatum & statum damnationis.* Et addit: *Quidam, non diligere fratrem, exponunt odisse fratrem, sed nulla necessitas est hujus expositionis. Constat enim non solùm odiendo & persequendo, sed & non diligendo, & charitatis officia non exhibendo, multos peccare mortaliter.* Ubi vides juxta Estium: *Qui non diligit* idem esse, ac qui contra charitatem proximi peccat mortaliter, vel illum odiendo & persequendo, vel debita officia illi non præstando.

Denique dum dicit S. Joannes, *Quoniam diligimus fratres*, non loquitur de actu prævio ad justificationem, qui sit hujus causa vel dispositio ad illam, sed agit de actibus charitatis proximi, qui justificationem consequuntur, eosque asserit esse indicia justificationis antea obtentæ; sic ut particula *Quoniam* referatur ad illa verba, *nos scimus*; id est, ex illo signo colligimus. Quo sensu etiam dixit Christus Joan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Ita locum supradictum exponit S. Augustinus apud Estium: *Redeat unusquis-*

quæ ad cor suum: si ibi inveneris charitatem fraternam, securus sit, quia transiit de morte ad vitam. Unde Estius in dicta verba, QVONIAM DILIGIMVS FRATRES. *Non*, inquit, *sic significatur meritum, aut omnino causa dictæ translationis...... sed causalitas hæc referenda est ad cognitionem. Nam ex dilectione fraterna velut effectu & signo cognoscimus, nos de morte ad vitam translatos esse.* Estio consentit præter plures alios Fromondus.

35. Concludo: S. Ioannes hoc loco agit de dilectione proximi in hoc sita, quòd proximum non oderimus, quòd ei injuriam nullam inferamus, & insuper debita charitatis officia ei non denegemus. Quæ nobis circa proximum præcepta, qui non observat, manet vel recidit in mortem peccati. Hanc insuper dilectionem proximi adducit, non tamquam causam, aut dispositionem præviam ad justificationem impetrandam, sed tamquam aliquid justificatione posterius; ex quo tamquam effectu, ac signo cognoscamus, verè antea factam fuisse justificationem. Quâ, quæso, novâ arguendi formâ hinc inferre poterit P. Lupus: ergo ut peccator accedente etiam Sacramento justificetur, necesse est habere illum castam Dei propter se super omnia dilectionem. Hæc si considerasset, non pronuntiasset, ut arbitror, tam confidenter, in hoc S. Joannis testimonio contineri definitivam nostræ controversiæ sententiam.

§. 2.

Alterum Testimonium ex Apostolo 1. *ad Corinth.* 13.

36. ALterum profert testimonium: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans &c. nihil sum &c. si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* In hunc locum ita P. Lupus pag. 8. *Apostolus prædicat charitatem omni charismate esse excellentiorem, sine qua nec angelicæ linguæ donum, nec prophetia, nec largissima eleemosyna, nec ullum* SACRAMENTVM, *nec ipsum etiam martyrium possit prodesse.* Atque hinc probare contendit P. Lupus, Attritionem, ut vera sit, ac cum Sacramento sufficiens, debere procedere ex motivo charitatis Dei propter se super omnia dilecti.

Hæc probatio, ut speciem aliquam rectæ illationis habeat, supponere debet, quòd, quidquid hìc dicit Apostolus de charitate, intelligendum sit de actu amoris Dei propter se super omnia dilecti: hoc autem supponendum minimè erat, sed firmis rationibus ex textu petitis, vel authoritatibus stabiliendum. Ita enim hunc locum intelligendum esse negamus.

37. At

37. Ac principio quidem, cum (ut ex textu patet, & etiam admittit Estius) hoc loco non distinguat Apostolus inter peccatorem & justum, adeoque sermo sit de omnibus generaliter; si, quod ibi de charitate pronuntiat Apostolus, intelligendum sit de ipso actu charitatis Dei super omnia propter se dilecti; jam sequitur primò, quòd etiam justus omnia sua in pauperes distribuens, aut martyrium subiens, si id faciat ex alio motivo, quàm Dei *super omnia* propter se dilecti, v.g. ex spe gloriæ æternæ, ex timore gehennæ &c. imò & ex amore amicitiæ erga Deum, qui tamen non sit super omnia, qualem dari posse certum est, sequitur, inquam, illa omnia nihil profutura ad salutem, quod alienissimum est à communi doctorum & fidelium consensu, adeoque & ab hoc aberrat talis explicatio testimonii Paulini. Sequitur præterea hominem justum eo tempore, quo non elicit actum dilectionis Dei super omnia, adeoque non habet charitatem actualem, *nihil esse*, id est, ut exponit Estius, *nullius pretii esse apud Deum*; sive, *nihil esse secundum esse gratiæ vel divini consortii*, ut exponunt D. Thomas & Caietanus apud Estium, qui eam explicationem probat, tamquam suæ conformem: certissimum autem est, justum, licet actu jam Deum non diligat, esse tamen alicujus pretii apud Deum: esse aliquid in esse gratiæ & divini consortii. Ergo manifestum quoque est non posse hunc Apostoli locum exponi eo modo, quo explicat Adversarius. Neque respondere poterit, quòd Apostolus non requirat semper actualem charitatem, sed tantùm dicat nihil omnia prodesse, nisi aliquando actus charitatis eliciatur; nam ex eo, quòd aliquando is actus eliciendus sit, nullâ ratione inferri poterit, quod infert P. Lupus, nempe eum, qui Sacramentum suscipit, debere ad ejus fructum percipiendum habere amorem amicitiæ erga Deum super omnia.

38. Hunc Apostoli locum non pauci explicant de charitate habituali, seu gratia gratum faciente, sine qua omnia dona reliqua nihil ad salutem possunt conferre. Hunc sensum agnoscere videtur D. Thomas hîc lect. 1. dum dicit, *agi de charitate, quæ inseparabiliter concomitatur gratiam gratum facientem*; quod non competit, nisi charitati habituali. Et ut Cajetanum, Salmeronem, aliosque interpretes omittam, qui hoc testimonium explicant de habituali charitate, adfero domesticum vobis Doctorem Libertum Fromondum, qui ad dicta verba: *charitatem autem non habuero*, explicationis gratiâ subjungit, *habitualem vel saltem actualem: indifferenter enim Patres & præsertim Augustinus accipiunt.*

39. Alii verò, quibus potiùs adhæreo, hanc Apostoli sententiam exponunt de charitate fraterna, atque hæc explicatio videtur textui magis

magis conformis, & cohærens cum præcedentibus, & sequentibus. Nam Apostolus in hac Epistola studet Corinthios contentionibus & factionibus inter se divisos (ut patet ex cap. 1. 3. 11.) ad fraternum amorem, mutuaque officia reducere. Hinc cap. 12. totus est in commendanda unione, & consensu membrorum ejusdem corporis inter se; dicit fideles unum Christi corpus constituere &c. tum cap. 13. post verba nobis objecta pergit, *charitas patiens est, benigna est, non æmulatur &c.* Quæ omnia propriè spectant ad dilectionem proximi, ut rectè in hunc locum Salmeron, Estius aliique. Charitate autem hoc modo intellectâ, planissimus erit sensus: quòd nempe donum linguarum, prophetiæ, & reliquæ gratiæ gratis datæ, quarum occasione erant inter Corinthios ortæ contentiones, nihil prosint ad salutem, si is, qui illas habet, irâ aut odio erga proximum flagret: non quasi id verum etiam non sit de alio peccato mortali quocumque, sed quia Apostolus, cum velit Corinthios ad pacem & mutuam concordiam revocare, tantùm meminit peccatorum, quæ fraternam charitatem violant. Aliqui huic explicationi addunt similiter non prodesse hæc dona, si quis iis ad jactantiam & superbiam abutatur.

40. Explicationem hactenus deductam tradunt Patres, aliique Scripturæ interpretes. S. Chrysostomus Homil. 32. in hanc Epistolam sic ait: ÆMULAMINI CHARISMATA MELIORA, ET ADHUC EXCELLENTIOREM VIAM VOBIS DEMONSTRO; *dicens charitatem in proximum:* quam fraternam charitatem asserit in sequentibus ab Apostolo magis explicari. Et illud: *si dedero corpus* &c. *charitatem autem non habuero,* explicat Chrysostomus, *si proximum non diligamus.* Sedulius: *si tradidero corpus meum ut ardeam, id est in martyrium, si in ipso martyrio adversus fratrem retineam iram, contemnens eum, qui jussit nos malitiam proximi oblivisci* &c. S. Anselmus: *sed charitatem non habuero; id est, non charitate, sed jactatione hoc fecero, vel odium in corde adversus aliquem retinuero, nihil mihi totum hoc prodest.* Eidem explanationi insistunt Primasius, Smaragdus Abbas. D. Thomas lect. 2. Menochius, Tirinus, Stevartius. Pro eâdem explicatione videtur haud immeritò adferri Augustinus, qui lib. de Baptismo contra Donatistas cap. 9. fusius deducto hoc Apostoli testimonio, quòd illa omnia sine charitate non prosint, subjungit: *tamen quia separati hæc agunt, non sufferentes invicem in dilectione, neque studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis, charitatem utique non habendo, etiam cum illis omnibus, quæ nihil eis prosunt, ad æternam salutem pervenire non possunt.* Et cap. præced. prolato eodem testimonio, ut hæc omnia illis prosint ad salutem, tantummodo requirit Augustinus ut redeant ad vinculum pacis

pacis. Denique S. Gregorius lib. 18. moral. cap. 14. illud, *si tradidero &c. & charitatem non habuero*, explicat tum de iis, qui prava tenent in fide, tum de illis qui unitatem cum fratribus non tenent, & per hoc mortaliter peccant.

41. Neque multum inter se discrepant duæ jam relatæ dictorum verborum explanationes, cum per iram, odium, aliaque in proximum peccata charitas habitualis destruatur, à qua reliqua divina dona, procedentesque ex iis operationes, vim & meritum in ordine ad vitam æternam accipiunt: ipsaque sit vestis nuptialis, quâ carentes ejiciuntur in tenebras exteriores.

Constat ergo hunc Apostoli locum rectè, & juxta communem interpretum consensum explicatum, nihil omnino continere, quod aut nobis adversetur, aut adversariis faveat.

§. 3.

Reliqua Scripturæ testimonia.

42. TErtium pro se producit Scripturæ locum 1. Petri 3. v. 21. *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Ex hoc testimonio sic arguit P. Lupus pag. 57. *non solum Baptisma, sed & conscientiæ bonæ interrogationem*, SEU CHARITATEM IN DEUM *requirit Apostolus. Adeo non sine fundamento in dissertatione scripsi, hanc charitatis necessitatem esse evangelicam ac apostolicam prædicationem.*

43. Verùm nullo omnino id dictum est fundamento, nisi fortè is, qui divi Petri verbis hanc gratis affuit interpretationem, *seu charitatem*, Apostolus sit aut Evangelista. Nam D. Petrus illic charitatis in Deum ne meminit quidem, multò minus charitatis in Deum propter se & super omnia dilectum. At, inquies, dicit, *sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Verùm unde, quæso, didicisti, aut quomodo probas, quòd conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, idem sit, quod charitas erga Deum propter se & super omnia dilectum? Hic sine dubio P. Lupo hærebit aqua.

44. Hoc D. Petri testimonium (quod obscurum esse notat Salmeron) interpretes variè exponunt: tres diversas expositiones adducit Estius hîc, inter quas nulla est adversariis favens. Multi, inquit Estius, simpliciter intelligunt animum bene sibi conscium, qui examine adhibito nihil in se reperiat, quo si uctu Baptismi reddatur indignus. Alii ipsum

ipsum Baptismi effectum significari putant, sic ut sensus sit, Baptismum non tam sordes corporis abstergere, quàm animàm abluere & mundare à conscientia mala. Ita Cajetanus, Tirinus, aliique: sic ut animus à Deo interrogari audeat, ejusque judicio confidenter se sistere, & ab illo interrogatus respondere, se liberum esse à sorde peccati: ita Salmeron, Menochius, Gordonus, &c: Alii denique arbitrantur, Apostolum loqui de interrogatione seu stipulatione, quæ fit in cæremoniis Baptismi, dum baptizandus interrogatus à baptizante respondet, idque bonâ conscientiâ (id est seriò & ex animo) se credere, & renuntiare satanæ, ac pompis ejus: sic ut illa interna professio baptizandi sit præcipuum, quod in Baptismo illum salvat. Ita citato S. Augustino Salmeron, Estius, Fromondus, Hesselius, Follengius, Hugo de S. Caro. aliique.

45. Addit autem Apostolus, *in Deum*, seu ad Deum, quia res agitur coram Deo, seu Deo teste, qui solus videt conscientiam & mentem baptizandi, an bona sit & sincera, ac conformis externæ professioni: ita rursus Estius, Fromondus, Tirinus aliique.

Ecce tot tantosque interpretes, ut multos alios probè examinatos omittam, quorum nullus affert explicationem P. Lupi, imò nec de ea meminit quidem. Potuisset ergo eodem ferè jure nobis objecisse initium Evangelii S. Joannis.

46. Quartò objicit ex Joannis 14. v.24.: *Qui non diligit me, sermones meos non servat:* ex quo testimonio ut aliquid concludat P. Lupus, supponere debet, illud, *qui non diligit me*, hunc facere sensum; qui me non diligit amore amicitiæ super omnia; id autem nego, & dico alium planè sensum his verbis subesse, quem antequam adferam, videamus an locus Joannis favere possit P. Lupo, etiam supposito, quòd dilectio, de qua ibi sermo est, sit amor amicitiæ in Deum super omnia.

47. Hoc supposito triplex assignari potest verborum illorum sensus. Primus est; qui nunquam amore illo Deum diligit, nec umquam elicit actum amoris amicitiæ erga Deum, sive qui non implet primum Decalogi præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum &c.* quando nempe & quoties præceptum hoc affirmativum urget; ille non servat sermones meos. Quo sensu similiter dici posset, qui non honorat patrem, vel, qui non succurrit proximo in necessitate constituto, &c: non servat sermones seu mandata Christi. Sic hunc Apostoli locum olim intellexit Jacobus Faber, sic in illum scribens: *Quomodo qui non diligit Christum, sermones ejus servaret, cum unus & quidem præcipuus sermonum ejus sit is: diliges Dominum Deum ex toto corde tuo &c. ipse autem Deus sit. Ergo si quis non diligit*

Christum,

Christum, non servat mandata ejus. Quare ex opposito, qui servat mandata, diligit. Eandem explicationem amplectitur Sylveira. Hæc quidem explicatio non est unde efficaciter rejiciatur aut revincatur; sed plane inutilis est intento adversarii. Nam ex eo, quòd aliquoties in vita præcipiamur Deum amare amore amicitiæ super omnia, adeoque, qui id non faciat, primum decalogi præceptum non servet; quâ quæso bonæ consequentiæ specie inferet aliquis: ergo in ordine ad justificationem etiam in Sacramento obtinendam, tamquam dispositio proxima requiritur amor amicitiæ in Deum super omnia.

Alter dictorum verborum sensus fingi posset hic; *qui non diligit me*, id est, qui quovis momento non elicit illum amorem amicitiæ erga Deum, non servat mandata, seu illa violat: Hæc interpretatio faveret sine dubio intento P. Lupi, si enim præceptum amandi Deum actualiter urgeat quovis momento, sic ut aliquo non actu amare, sit mandatum transgredi, rectè sequitur, quòd, qui dum atteritur, non elicit dictum amorem Dei super omnia, violet præceptum Christi, & sic reddatur incapax absolutionis. Verùm obligationem, quovis momento eliciendi actum amoris in Deum super omnia, nemo sanæ mentis admiserit (adeoque nec hunc illorum verborum sensum) nisi fortè hæreticus quispiam, qui arbitratur Deum nobis præcipere etiam impossibilia.

48. Tertius denique sensus excogitari posset hic: *Qui non diligit me*, id est, qui actu Deum super omnia non amat, non quidem quovis momento, sed tunc, quotiescumque præceptum aliquod in quacumque materia implendum occurrit, sic ut, si illud, quodcumque demum sit, non impleat ex motivo amoris amicitiæ erga Deum super omnia; *sermones meos*, seu mandatum meum *non servet*, sed illud violet. Hic rursus sensus faveret P. Lupo, saltem pro casu, quo præceptum confessionis urget & in ea exponitur mortale numquam antea per Sacramentum remissum. Verùm sententia tale præceptum Christi statuens falsissima est, & passim ab Authoribus Catholicis efficacissimè ex Scriptura, Conciliis & SS. Patribus refutata, adeo ut necesse non sit in ea refellenda immorari. Videri possunt quæ attulimus in tract. de Attrit. cap. 6. à num. 115. Rejiciendi prorsus sunt, prout hic eos rejicit Jansonius, *qui ex hoc loco aliquando asseruerunt, nulla mandata Dei servari absque charitate.*

Porro ne hic desideretur dicti testimonii sensus, eum breviter dabimus: unam explicationem supra ex Fabro & Sylveira adduximus.

49. Aliqui ita explicant, ut illo loco non observatio mandatorum

statuatur quasi signum non dilectionis Dei, sicut è contra alibi dicitur; *qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me*: transgressio ergo mandatorum, & contemptus signum est, nullam adesse dilectionem, non tantùm non illam, quo Deus amore amicitię super omnia diligatur, sed nec pium affectum & voluntatem Dei præcepta servandi ex quocumque bono motivo, quæ etiam quædam Dei dilectio est. Ita hunc locum exponit Cyrillus Alex. lib. 10. in Joannem in hæc verba: QVI NON DILIGIT ME. *Nam si*, inquit, *mandata vel sermones ejus servare, dilectionis in ipsum manifestum est argumentum, atque indicium; erit utique verum contrarium. Mandatum enim pro nihilo habere, & quod imperatum est, quasi infestum quidpiam aversari, indicio est, nihil esse dilectionis.* Et in eadem verba Theophylactus: *Qui igitur non custodit sermonem Filii vel Patris, sicut odit Filium, ita & Patrem. Vos igitur discipuli custodite sermones meos, ita enim declarabitis dilectionem tam erga me, quam erga Patrem.* Eodem modo exponit Euthymius, ac si diceret Christus; quicumque violat mea præcepta, ille est qui me non diligit; quod sine dubio verissimum est. Eandem explicationem amplectitur Maldonatus.

50. Alii illud, *qui non diligit me*, sic intelligunt; qui iis, quę à me dicuntur, non credit, ille nec servabit: ita Theodorus Heracleotas, & Theophylactus, dicens, quòd diligere, sit credere, seu persuaderi his quæ à Christo dicuntur: adeoque, non diligere, est non credere, prout non credebant Judęi, de quibus hic est sermo: & hanc interpretationem miro consensu recipiunt & tradunt interpretes, passim docentes, quòd non diligere hoc loco, sit Christum non recipere, sed eum sibi prædicatum rejicere: fidem & sermones ac doctrinam Christi mente & affectu non amplecti ad ea implenda, sed ejus doctrinam spernere, Christum odisse, prout faciebant Judæi, de quibus hic loquitur Christus, assignans rationem cur ipse & Pater non sint similibus se manifestaturi: & de iisdem dicit Christus, quòd ipsius sermones non sint servaturi. Ita Franciscus Lucas, Joannes Ferus, Titelmannus, Antonius Delphinus, Toletus, Palacio, Paulutius, Sylveira.

Quid rursus ex hoc Scripturæ testimonio legitimè & in communi Interpretum sensu intellecto inferri possit, quod aut nobis adversetur, aut faveat adversariis, non video, nec alii mecum.

51. Objicit præterea, tamquam ad quæstionem nostam faciens, illud Apostoli ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Quem locum suo instituto sic adaptat P. Lupus pag. 44. *Quidquid non est ex fide, quâ non tantùm Deo, sed & in Deum credimus* (id est juxta ipsum, ex fide formatâ per charitatem seu Dei super omnia propter se dilectionem) *peccatum est.*

Respon-

Respondeo, Adversarium rursus hic, ut aliquid nobis è Scriptura opponere videatur, obtrudere sensum verborum Scripturæ alienum à contextu & communi Interpretum consensu. Quare non est quod immoremur explicationi. Eam videre poterit in Thesibus sub Exim. D. Andrea Laurent. Lefensis 22. Nov. 1667. ubi relato dicto Apostoli testimonio additur hæc explicatio: *id est, omne id, quod quis agit, non persuasus id sibi licere, sed vel illicitum putans, vel dubitans utrum liceat, peccatum est. Hæc propositio:* OMNE QVOD NON EST EX FIDE, PECCATVM EST: *etiam vera est de fide theologica; verùm sic intellecta Apostoli scopo non ita congruit.* Ecce nequidem sensus Apostoli est de fide theologica, adeoque minùs de fide per charitatem formata.

Denique opponunt ex Apostolo 2. ad Corinth. 7. v. 10. *Quæ secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.*

Resp. cum Driedone trac. 4. de captivit: & redempt. cap. 1. parte 2. *Qui tristis est quia peccavit, secundùm Deum tristis est.* Illum autem qui habet ea, quæ ad attritionem requirimus, tristem esse, quia peccavit, manifestum est; neque negari potest nisi ab eo, qui negaverit illum qui perfectè conteritur, esse tristem quia peccaverit, prout fusiùs & evidenter ostendi in tract. de Attritione num. 143.

Vident jam, credo, omnes, quàm gratis & sine ullo prorsus fundamento, tam confidenter passim jactet P. Lupus, sententiam suam esse dogma Apostolicum; esse ab Apostolis, Prophetis, & Evangelistis prædicatum, & ut loquitur pag. 25. *nihil lucidius & frequentius inculcare Propheticas, Evangelicas, ac Apostolicas Scripturas, quàm neminem adultum sine vera cordis per castam Dei dilectionem conversione justificari.* Et plura similia passim. Quod si nostram ex Scriptura discere voluisset sententiam, invenisset Scripturas passim dilectioni hominis erga Deum conjungere reciprocam Dei erga hominem dilectionem: *ego diligentes me diligo &c.* invenisset etiam facilè constantem apud Patres Scripturæ in sensu jam dicto intellectum. Est etiam ex illa evidens, quod Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ vim habeat, per se & ex sua institutione, delendi peccata quoad culpam, & pœnam æternam. His autem duobus positis rectissimè sequitur non requiri in Sacramento dilectionem Dei propter se & super omnia.

CAPUT V.

Examinantur, quæ adversarius de novo profert ex Conciliis, aliisque Scriptoribus.

IN sua familiari Epistola plurima sparsim, & sine ordine adducit contra nos P. Lupus: ea nos hîc simul proponemus, ostendemusque pleraque omnia perperam, & extra rem nobis obiici.

§. I.

Quædam prænotanda.

52. NOtandum primò: in quæstione nos inter & adversarios controversa, hæc tamquam certa ab utrisq; supponi. 1. Catholicam hanc veritatem, quòd nempe Sacramentum Pœnitentiæ sit verum legis novæ Sacramentū, uti & Baptismus. 2. Quòd hæc duo Sacramenta vim habeant, non tantùm, ut alia, augendi gratiam præhabitam, sed etiā primam gratiam conferendi, & peccatorem Deo reconciliandi. 3. Quòd, ut homo justificetur independenter à Sacramento, illiusque actualiter collati virtute, omnino necessaria sit Dei propter se super omnia dilectio. Ex his inter nos minimè controversis, liquidò sequitur, &

53. Notandum est 2. perperam, & omnino abs re tamquam nobis adversarios produci, qui ad omnem justificationem requirunt amorem Dei, si iidem illi vel dicant Pænitentiam non esse legis novæ Sacramentum, nec efficere quòd figurat (prout sensit Petrus Pictaviensis, cujus verba profert P. Lupus Epist. pag 55.) vel statuant Poenitentiam, seu absolutionem Sacerdotis non esse nisi signum peccati antea remissi per actum prævium pœnitentis, adeoque tantùm consolationis causâ adhiberi: vel denique si huic Sacramento denegent virtutem peccata primùm dimittendi quoad culpam. Hoc enim errore posito, sequitur non nisi à jam justificato Sacramentum pœnitentiæ suscipi posse, adeoque vim justificandi totam petere debent ab actu peccatoris, æquè ac si Sacramentum re ipsa non susciperetur. Cum autem seclusâ actuali Sacramenti susceptione (ut inter nos & adversarios convenit) ad justificationem requiratur dilectio Dei propter se & super omnia; meritò Authores virtutem, ad remittenda peccata, huic Sacramento

mento denegantes, eundem dilectionis actum ad justificationem in Sacramento exigunt. Neque in hoc vel in minimo nobis adversantur, qui fatemur sublato Sacramento (vel, quod idem est, sublatâ illius ad remittenda peccata virtute) necessariam esse Dei super omnia dilectionem ad peccatorem justificandum. Hoc tantùm agunt Authores illi, ne priori errori novum addant, & sic in duobus hallucinentur. Sic in quæstione inter Scholasticos controversa, an Sacramenta vivorum aliquando per accidens conferant primam gratiam; illi, qui negativam partem amplectuntur, & consequenter, ut peccator ea suscipiat cum fructu, requirunt actum contritionis strictè dictæ, negantes attritionem sufficere; hi, inquam, non rectè citarentur tamquam contrarii illis, qui dicunt ad justificationem sufficere attritionem, dummodo accedat Sacramentum habens vim conferendi primam gratiam; nam, si illi priores crederent Sacramentis vivorum illam virtutem inesse, admitterent & ipsi sufficere attritionem.

Illi ergo qui Sacramento virtutem peccata remittendi denegant, unicum modum agnoscunt, quo fidelis in mortale lapsus deperditam justitiam recuperet, nempe per actum tantummodo proprium, independenter à Sacramento, illiusve virtute. Hunc autem actum meritò dicunt esse debere charitatem. Neque in hoc nobis magis quàm adversariis contrarii sunt.

54. Notandum 3. Authores antiquos non paucos per timorem servilem, non intelligere timorem illum, quem in attritione includi dicimus, nempe verum & serium timorem gehennæ; sed planè alium, nempe timorem pœnæ ab hominibus infligendæ, & qui ab opere quidem externo retrahit, sed manente in animo voluntate peccaminosâ. Timorem verò, quo quis à peccato abstinet metu gehennæ, non servilem, sed initialem appellant. Hujus veritatis testes aliquos profero.

55. Hugo de S. Victore timorem servilem definit esse illum, quo quis, retentâ malâ voluntate, ab opere externo abstinet metu pœnæ ab homine infligendæ: initialem verò, quo quis metu gehennæ abstinet à malo opere & mala voluntate. Utriusque timoris definitionem tradit Tom. 1. lib. 4. Allegor: in Lucam, pag. 164. ubi in hæc Cantici verba: MISERICORDIA EIUS IN PROGENIES ET PROGENIES TIMENTIBUS EUM: ita de timore loquitur: *Quatuor timores Sacra Scriptura discernit: servilem, mundanum, initialem, filialem. Servilis timor est, pro evitanda pœna abstinere à malo, retentâ voluntate malâ. Mundanus timor est, pro evitanda pœna abstinere-*

 stinere-

stinere à bono, retentâ voluntate bonâ. Initialis timor est, pro evitanda pœna cum perverso opere etiam pravas cogitationes resecare. Filialis timor est, bono firmiter adhærere, quia illud amittere nolis. Ex *his quatuor timoribus duo mali sunt; id est, servilis & mundanus: duo verò boni; id est, initialis & filialis.* SERVILIS TIMOR POENAM, QVÆ AB HOMINIBVS *infertur, metuit, & idcirco ei sufficit cessare à malo opere, quia ad oculum famulatur, &* REATVM CONSCIENTIÆ NON METVIT.... *Initialis verò timor, quia eam,* QVAM DEVS COMMINATVR, POENAM *declinare satagit; neque quam sibi sufficere videt ut ab illicita se operatione contineat: quia ei, qui cor intuetur, non est satis ad probationem, si innocens fuerit actio, nisi etiam ipsa cordis cogitatio ante ejus oculos sincera & impolluta appareat. Quia ergo illi displicere metuit, qui videt totum, ad perfectam innocentiam coram eo necesse esse consideret, ut mundet totum; & ideo ipse timor initialis dicitur, quia sub hoc per bonam voluntatem & virtus initium capit, & vitium finem. Tum accedit charitas & intrat per timorem istum.* Quo loco utriusque timoris vim, & efficaciam adjunctis rationibus pulcherrimè elucidat. Idem repetit Hugo lib. 2. de Sacramentis fidei, parte 13. cap. 5. & Miscell. 2. lib. 4. tit. 32. Idem rursus confirmat in Annotat: epist. ad Roman: pag. 185. in illud. NON ACCEPISTIS SPIRITVM SERVITVTIS. *Timor,* inquit, *servilis cobibet manum à malo opere timore pœnæ temporalis. Timor initialis cobibet à malo opere & à mala voluntate, timore gehennæ. Timor filialis cobibet ab omni malo, amore justitiæ..... Ille dicitur habere timorem servilem, qui* TIMORE POENÆ TEMPORALIS TANTVM *aliquid criminale non committit.*

56. Atque hinc redditur manifestum, juxta Hugonem à S. Victore, illum timorem generaliter esse servilem, quo pro evitanda pœna abstinetur ab opere externo, retentâ malâ voluntate: quod quia maximè locum habet, dum quis timore pœnæ ab homine infligendæ agitur (potest enim hæc efficaciter timeri retentâ voluntate internâ malâ) idcirco postea explicans, quæ sit illa pœna, adducit solam illam, quæ ab homine intentatur. Initialem vero timorem esse asserit quoties metu pœ-

tu pœnæ cohibetur homo non tantùm à malo opere, sed etiam à mala voluntate; hoc autem præstare cum tantùm possit pœna à Deo intentata, quæ declinari nequit, nisi etiam ipsa cogitatio sit impolluta, & adsit perfecta innocentia, idcirco dicit timorem initialem esse, quo insuper abstinetur à mala voluntate timore gehennæ. Quòd si autem timens gehennam tantùm inefficaciter, simul retineat affectum ad peccatum, juxta Hugonem Victorinum non timore initiali, sed servili agetur. Quia tamen sic timens non verè timet, seu fugit efficaciter gehennam, rectè pronuntiat Hugo: *illum dici habere timorem servilem, qui timore pœnæ temporalis tantùm* (seu pœnæ ab homine infligendæ) *aliquid criminale non committit.*

57, Beatus Laurentius Justinianus eodem sensu accipit timorem servilem: nam in Tract. de timore cap. 5. enumerans varias timoris species, de servili ita loquitur: *Quartus est timor servilis, quo quis timet peccare propter pœnam principaliter; sed inaniter putat se esse victorem peccati, qui timore pœnæ non peccat; quia si non impletur negotium malæ cupiditatis; ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Nam si adhuc à pravâ actione formidanda pœna prohibet, profectò formidantis animum nulla spiritus libertas tenet. Nam si pœnam non metueret, culpam procul dubio perpetraret.* Timorem ergo servilem statuit esse illum, quo quis à prava actione retrahitur, manente intus hoste pravâ cupiditate, seu peccato interno. Ut autem ostendat in quo, seu cujus pœnæ timore locum habeat, quod dixerat de remanente interius pravâ cupiditate; nempe in timore, quo timetur pœna ab homine, subjungit ibidem paucis interjectis: *facilè deviat à justitia, qui in causis non Deum sed homines pertimescit. Hic timor peccandi facultatem auferre potest, voluntatem auferre non potest.* Ecce timorem, qui pravam voluntatem internam auferre aut cohibere nequit. Quòd autem timor Dei, seu gehennæ à Deo intentatæ tollat ac cohibeat non tantùm peccata externa, sed & interna quæcumque, constantissimè docet hic Sanctus: nam cap. citato. *Si te*, inquit, *amor Dei à peccato non cohibet, saltem te prohibeat terreatque timor judicii, metus gehennæ, aquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis corrodens, & flamma tartarea. Ex talium consideratione Deum time, & hæc non formidabis.*

58. Et luculentius ac pulcherrimè ejusdem tract c. 2. ubi describens

bens timoris Domini utilitates sic ait: *Sicut enim securitas est ad lapsum facilis, ita timor à lapsu protegit, quia odit vitia, virtutes custodit, cor sedulâ vigilantiâ observat, ab ingressu ejus* NOXIAS COGITATIONES *repellens* CLAVA TERRIBILI, *videlicet* MEMORIA ÆTERNÆ POENÆ. *Ingerit namque sicut veraciter, ita frequenter, quòd post hanc peregrinationem tunc edax flamma comburet, quos nunc delectatio carnis polluit; illosque infinitum barathri chaos devorabit, quos salutaris timor ab inani elatione, & à deformitate culpæ non custodit ..... Qui timet Deum, nihil trepidat; quia timor Domini fiducia est fortitudinis, & qui illum possidet, non corruet ...... Nam timor hominum, peccandi differt facultatem & operationem; non autem aufert, sed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem vel occasionem; unde & quos suspendit à crimine, avidiores reddit ad crimen, & æstuat animo, quousque perficiat, quod malum cogitat;* SOLUS *enim* DEI TIMOR *est, qui nocentes corrigit, fugat crimina, &* PERPETEM CONFERT BENE AGENDI VOLUNTATEM ..... *Nubes etiam* CARNALIUM COGITATIONUM ET AFFECTIONUM FUGAT .... *nam sicut remissa securitas culpas admittit, ita timor desiderabilis delicta semper excludit, & mentem conservat.* Hactenus B. Laurentius. Quòd autē agat de timore Dei seclusâ charitate, præterquam quòd ex verbis ipsis fit manifestum, etiam aliunde convincitur: nempe quia eodem capite asserit, timorem hunc esse, à quo in via Dei incipitur, ut ad fortitudinem, seu charitatem perveniatur, illumque nuncupat salutis principium ac radicem. Ex hoc timore dicit nasci *compunctionem salutarem*, ex compunctione contemptum facultatum, & sic plurimos gradus enumerans, docet, quomodo tandem introducatur charitas. Rationem autem tantæ efficaciæ hujus timoris adfert cap. 4. ubi inter timendi motiva hoc adfert octavum, quòd Dei sapientiam nulla cogitatio aut intentio cordis lateat, sed omnia nuda ac aperta sint illius oculis; & infert: *Magna proinde dementia est, si dissimulare volumus, & non timere. Indicta namque nobis est probitatis necessitas, cum agamus ante oculos Judicis cuncta cernentis.* Hæc fusiùs adducere volui, ut appareat, quantum B. hic Patriarcha dissentiat à nostris adversariis, & consentiat evidentissimè veritati à nobis traditæ in tract: de Attrit: cap. 3. 4. & 5.

59. Ex

59. Ex dictis sic concludo. Timor servilis juxta B. Laurentium est, quo abstinetur à prava actione, seu impletione malæ cupiditatis, manente in animo eàdem cupiditate. Atqui juxta eundem timor Dei, seu pœnarum ab ipso inferendarum *cor custodit, & ab illius ingressu noxias cogitationes repellit* CLAVA TERRIBILI MEMORIA ÆTERNÆ POENÆ, *fugat pravas cogitationes & affectiones*, hoc timore præditus *non corruet*, &c. Ergo ex illius sententia, timor gehennæ non est servilis timor: pertinebit igitur ad timorem initialem, quem dicto cap: 5. pergit hoc modo describere B. Patriarcha: *Quintus est timor initialis, quo timet quis Dei offensam & pœnam, unde habet quasi duos oculos, unum ad pœnam, & alterum ad Dei offensam.* Cum enim, ut jam vidimus, timor Dei, seu gehennæ, juxta B. Laurentium non sit timor servilis, neque etiam ullus alius ex enumeratis ab illo, necesse est eum comprehendi sub timore initiali: ne aliàs hic Author plurimas timoris species enumerans, unicam illam timoris speciem omiserit, quam in præcedentibus tam amplè commendaverat, nempe timorem gehennæ: atque de hoc se agere manifestè indicat in verbis sequentibus, hortans ut, si amor à peccato quempiam non contineat, id saltem faciat timor gehennæ; subjungitque duplicem esse timorem, nempe hunc gehennæ; & alterum filialem, qui mentem corrigat, fuget crimina, innocentiam servet &c. negans id competere timori pœnæ, quæ ab homine inferenda metuitur.

60. Frustra etiam adversarii aliquid sibi inde quærunt subsidii, quòd hic author dicat, per timorem initialem timeri Dei offensam & pœnam, sic ut illo timore præditus uno quasi oculo respiciat pœnam, altero offensam Dei. His enim nullo modo indicat timori initiali mixtam esse debere aliquam Dei propter se super omnia dilectionem; sed per hoc ostendit differentiam, quæ intercedit inter timorem servilem & initialem. Qui enim timet pœnam ab homine infligendam (quod est timere serviliter juxta B. Patriarcham, ut jam ostensum est) nullo modo respicit offensam Dei, cum illi timori necesse non sit, misceri vel minimam cogitationem, quòd Deus per tale factum offendatur, sive, ut dicebat Hugo à S. Victore suprà num. 55. qui sic timet, *reatum conscientiæ non metuit.* At qui gehennam seriò metuit, non tantum timet pœnas, sed etiam illa, per quæ iis pœnis redderetur obnoxius: hæc autem sunt sola illa, quibus Deus offenditur, ac proinde verissimè de illo dicitur, quòd altero oculo respiciat offensam Dei, quam nullo modo respicit, qui solùm pœnam ab homine infligendam metuit.

61. Neque aliter sensit Latomus: nam in opusc. contra articulos Lutheri art. 6. pag. 43. cum Luthero respondisset, *quod non omnis ti-*

 mor

mor pœna servilis sit, postea explicat, quis sit timor servilis; ille nimirum, quo habens voluntatem malam à facto continet se metu pœnæ: verba ejus sunt: *Sententia Joannis Apostoli; perfecta charitas foras mittit timorem; intelligenda est de* TIMORE SERVILI, QVO HABENS VOLVNTATEM MALAM A FACTO CONTINET METV POENÆ AVT CRVCIATVS. Et lib. de instit: Monast. cap. 9. pag. 154. redarguit hæreticum malæ interpretationis horum verborum S. Augustini: *Qui ex timore facit præceptum, aliter quàm debet facit, ac per hoc non facit:* tum suam explicationem subjungens Latomus ita prosequitur: *Augustinus enim loquitur de timore servili, cum is, qui timet, voluntatem peccandi habet; sed continetur, quò minùs voluntatem opere compleat, quia timet pœnam.* Huc etiam facit, quòd mercenarium velit esse tantummodo illum, qui Deo servit pro mercede temporali; non autem illum, qui pro æterna gloria. Ita enim eundem hæreticum redarguit pag. 137. *Filii & mercenarii officia parum rectè distinguit...... Cæterum in statu viæ filii Dei, quamdiu peregrinantur à Domino, conantur quidem & ipsi voluntatem Dei implere, & quatenus Deus donat, implent, & nihilominus ad beatitudinem spectant: & cum Paulo ad mercedem, ad coronam, ad bravium pervenire contendunt. Nisi fortè Dei filius per adoptionem Moyses non erat, quando contemptis Ægyptiorum thesauris, præoptabat affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem: quoniam, ut testatur Apostolus, aspiciebat in remuneratorem. Is demum* MERCENARIVS *est, & in* SERVORVM *numerò habendus, qui Deo servit pro mercede, quæ Deus non est. Qui verò operis sui mercedem intuetur Abrahæ repromissam, à filiorum numero minimè excidit..... est etiam in eadem domo* (Ecclesia) SERVVS & MERCENARIVS, *qui* METV POENÆ, *& spe* TEMPORALIS VTILITATIS *serviunt:* denique cum, ut supra cap. 3. vidimus, apertè doceat Latomus, Attritionem sine charitate sufficere cum Sacramento, illam procul dubiò censet voluntatem peccati excludere, & minimè habere annexam voluntatem internam peccandi; ergo juxta Latomum timor gehennæ, licet absit charitas, non erit timor servilis, qualem solum agnoscit illum, quo manente internâ concupiscentiâ peccaminosâ ab actione externa solummodo homo retrahitur.

62. Meritò autem Latomus pro hac sua explicatione timoris servilis adducit Augustinum; hic enim variis locis per timorem servilem intelligit, non timorem Dei aut gehennæ, sed timorem hominum, aut mali temporalis. Enarrat: in Psalm: 127. *Alius timor permanet, alius excluditur; timor qui excluditur, castus non est; qui autem permanet, castus est. Qui est timor, qui excluditur? dignamini animadvertere; aliqui propterea tantùm timent, ne quid mali in terra patiantur &c. adhuc timor iste non est castus.* lib. vero

verò de S. Virginitate cap. 38. ait, *Timor quidem non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem: sed timorem hominum, non timorem Dei: temporalium malorum, non divini in fine judicii.* Ubi vides timorem Dei, seu divini in fine judicii, aut gehennæ, juxta Augustinum non mitti foras à charitate; atqui juxta eundem ille timor non est castus, qui excluditur à charitate; ille vero, qui ab hac non excluditur, est timor castus: ergo timor judicii & gehennæ juxta ipsum est timor castus, adeoque nec servilis. Vide quæ diximus in tract: de Attrit: cap. 5. §. 4.

63. Ex allatis hactenus horum Doctorum testimoniis colligo, ad hoc ut Author quispiam tanquam nobis contrarius meritò adferatur, non sufficere, quòd aut timorem servilem vitii damnet, aut dicat eum admittere voluntatem internam peccaminosam, aut denique neget, timorem servilem cum Sacramento satis esse: hæc, inquam, licet quispiam Author dicat, nondum ostenditur nobis adversari, nisi prius ostendatur, quòd timorem servilem non intelligat eo modo, quo intellexerunt Augustinus, Hugo à S. Victore, B. Laurentius Justinianus, Latomus aliique. Similiter si dicant aliqui ad Sacramentum requiri timorem initialem, non probantur oppositum nobis sensisse, nisi prius ostendantur timorem initialem non sumere eo sensu, quo intellexerunt Authores jam relati.

64. Notandum 4, P. Lupum, cum in Sacramento requirat amorem amicitiæ erga Deum super omnia, perperam in suæ sententiæ patrocinium advocare omnes illos, qui ad hunc effectum simpliciter requirunt charitatem, seu amorem, vel etiam amorem Dei, non facta mentione amoris amicitiæ, & super omnia. Ratio est, quia hæ voces, charitas, amor, dilectio Dei, & similes, diversissimas apud Authores passim nanciscuntur notiones. Ostendi id pluribus in Tract. de Attrit. num. 14. 69. 198. 246. &c. quibus hic aliquos addo: & inprimis B. Laurentium Justinianum tract. de charitate cap. 10. *Diligentium Deum*, inquit, *quatuor sunt species. Prima est naturalis, quo amore amant omnes Deum & boni & mali. De hoc amore ait Augustinus; Deus, quem amat omne quod amare potest, sive sciens sive nesciens. Secunda est, quo aliquis amat Deum, eo quòd cognoscit eum sibi necessarium; de quo David; diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus.* (hic amor, uti & is, quem tertio loco recenset, est amor concupiscentiæ) *Tertia est, quâ aliquis amat Deum propter dilicias, quæ in eo sunt...... Quarta est, quâ aliquis amat Deum, quia est dignissimus amore, qui amor purus est, amat namque castè &c.* & rursus infrà cap. 13. *Charitas est amor in Deum....Amor triplex est, scilicet, gratuitus, naturalis, & vitiosus. Amor gratuitus est laudabilis,*

quia habet principalem finem, bonum incommutabile: & virtus est. Hic dividitur in amicitiam & concupiscentiam. Secundùm amicitiam quis diligit Deum purissimè non respiciens utilitatem sui, sed bonitatem amati: hoc modo plus diligit homo Deum, quàm se ipsum. Secundum verò concupiscentiam diligit quis Deum, quia remunerationem in eo exspectat....... secundùm concupiscentiam diligimus Deum, quia necessitati nostræ vel subvenit, vel subvenitur: quia hoc amore non diligitur res propter se: sed propter usum ejus: unde hoc amore plus se diligit homo naturaliter quàm Deum. Ubi rursus plures charitatis Dei, & diversissimas species enumerans, amorem concupiscentiæ erga Deum, vocat amorem gratuitum, vocaturus sine dubio amorem mercenarium, si id, quod concupiscit homo, esset quid temporale. Quo rursus confirmatur id, quod diximus notabili præcedenti.

65. Similiter Hugo de S. Victore duo proponens genera compunctionis seu pœnitentiæ, unum, quod fit timore, alterum, quod amore; explicat hunc amorem de amore concupiscentiæ. Nam Miscell. 2. lib. 4. tit. 75. pag. 131. versâ, ita loquitur: *Duæ sunt compunctiones: una nascitur per timorem, altera per amorem. Prima timore supplicii, secunda venit amore præmii &c.* & rursus Miscell. lib. 1. tit. 118. pag. 62. cum dixisset timorem esse frænum, amorem esse calcaria; timorem cohibere animum &c. de amore subdit: *Deinde venit amor & stimulat excitando pigram* (conscientiam) *ad exercitium boni operis, demonstrans alacriter tolerandum laborem operis pro recompensatione tantæ retributionis. Nam quod facimus, transitorium est, quod autem exspectamus, æternum &c.*

66. Notandum 5. In vanum ab Adversariis contra nos congeri illos Authores, qui, nullâ factâ mentione Sacramenti, simpliciter asserunt, ad justificationem peccatoris minimè sufficere dolorem, ac propositum ex metu gehennæ, aut spe proemii conceptum, idque quantamcumque vim lacrymarum hic dolor cieat: id enim verissimum esse fatemur, asserimusque, necesse esse, illi actui accedere vel susceptionem Sacramenti, vel actum dilectionis benevolæ erga Deum super omnia. Similiter si nullâ factâ mentione Sacramenti, requirant amorem Dei super omnia ad justificationem, nondum ducetur efficax ex eorum Authoritate contra nos argumentum. Ratio est quia cum Sacramenti non meminerit, fortè agunt de sola justificatione extrasacramentali, seu quæ obtinetur per solum actum peccatoris. Et de hac manifestè agunt, qui dicunt, vel innuunt se loqui de pœnitentiâ, quæ quovis tempore, tam sub lege, quàm sub gratia, fuit omnibus indifferenter necessaria.

67. Notandum denique 6. ab illis etiam nihil juvari partem adversam

versam, qui volunt, ad contritionem necessariò requisitum esse amorem amicitiæ erga Deum super omnia. Cum enim (ut etiam habet Catechismus hujus Academiæ) licet contritio duplex sit, perfecta tamen retineat nomen Contritionis, imperfecta verò vocari soleat Attritio, censeri possunt agere de contritione non genericè sumptâ, sed acceptâ specificè, seu pro Contritione antonomasticè dictâ, ac per se sine Sacramento justificante, & Attritioni oppositâ: vel saltem dubium est, an sumant Contritionem genericè; unde non ostendentur nobis opponi, quamdiu non probabitur, quòd Contritionem sumant, prout genus est ad Contritionem perfectam, & imperfectam, seu Attritionem.

68. Hæc quæ hactenus hoc §. notavimus liquida sunt, & negari à nemine possunt: quæ si rectè notasset P. Lupus, planè mihi persuadeo futurum fuisse, ut nullum aut vix ullum ex iis Authoribus adduxisset, quos plurimos contra nos congerit. Omnia enim, quæ ex ipsis adfert testimonia, ex horum capitum aliquo vel pluribus perperam obiici, manifestum est, & jam ostendere aggredior.

§. 2.

Ostenditur planè inefficacia esse, quæ ex concilio Coloniensi adfert P. Lupus.

ORdior à Concilio Coloniensi, ex quo fusissima describit pro se testimonia, pag. 18. 19. 20. & tandem concludit P. Lupus: *Ex solo servili gehennarum metu, citra castam Dei super omnia dilectionem, formata contritio, apud hanc venerandam Synodum est Judæ contritio, non Petri.* Ejusdem Synodi rursus meminit pag. 46.

69. Summa eorum quæ ex Concilio Coloniensi (sic enim vocat) adfert P. Lupus, hæc est; quòd *Pœnitentiam comitari debeat timor filio dignus, quòd debeant peccata displicere, non jam quòd pertrahant in gehennam, sed quòd Patrem optimum, & sic de nobis meritum offendant, sic ut etsi nullus deinceps immineat pœnæ metus, tamen rursus admittere nolit.* Quòd *fides cum timore filiali conjuncta, veram pœnitentiam à falsa separet, & discrimen faciat inter contritionem impii & verè pœnitentis: impius enim concepto timore servili ex metu supplicii, atque ibi consistens, in desperationem adigitur, quòd videre est in Cain, Juda;* & plura similia in eundem sensum, quæ ex Synodo Coloniensi (ut quidem placet P. Lupo) desumpta sunt.

Plurima hîc occurrunt advertenda, quæque ab omnibus sciri inter

ſit; quis nempe ſit author libri, ex quo teſtimonia illa deſumpſit; de qua pœnitentia agat; quid de Sacramento pœnitentiæ ſenſerit; &c. quæ per diverſos articulos trademus.

70. Ac primò quidem, nullum ex teſtimoniis à P. Lupo adductis habetur in Concilio Provinciali Colonienſi: res manifeſta fiet illud inſpicienti: quæ autem de hac materia in dicto Concilio reperiuntur, non parum nobis favent: nam titulo de adminiſtrat: Sacramentorum cap. 31. pag. 29. de contritione, prima pœnitentiæ parte, ita loquitur. *Prima Pœnitentiæ pars, cum omnis Evangelicæ prædicationis exordium ſit, nunquam non eſt in ſuggeſtu pertractanda .... Pœnitentia autem tum rectè prædicatur, cum arguuntur ſcelera ac flagitia per verbum Dei, & incutitur populo timor iræ, indignationiſque, ac juſti judicii Dei certò certius manentis eos, qui malè agunt, ac malè agendo perſeverant. Subinde verò vino oleum miſcendum eſt, ut ex animo vereque territis ac converſis promittatur gratia ac miſericordia.* Similia tradit cap. 32, quòd ſic concludit: *Hæc eſt doctrina, quæ docet mori mundo, & vivere Chriſto.* Vide etiam cap. 35. ac denique cap. 39. *Peractâ confeſſione ſub abſolutionem Sacerdos monebit pœnitentem, ut quod admiſſum eſt, deteſtetur, ut ſic deinceps vitam inſtituat, ne in ullum lethale crimen poſt hac incidat.....utque eum affectum habens credat, per Dei miſericordiam in virtute ſanguinis Chriſti per abſolutionem ſibi impartiendam in verbo ejus ſibi remiſſum iri peccatum.* Ecce Concilium Colonienſe agens de Contritione primâ Pœnitentiæ parte, deque illius recta prædicatione, & confeſſarium inſtruens circa agenda cum pœnitente, nullam mentionem facit amoris Dei, ſed ſolius timoris, propoſiti inpoſterum, cum ſpe miſericordiæ ſeu veniæ. Si ſenſiſſent illic congregati, dolorem ex timore cum propoſito & ſpe veniæ, eſſe contritionis fucum, eſſe pœnitentiam Judæ, ut loquitur P. Lupus, nec ullo modo ſufficere cum Sacramento, niſi adſit amor amicitiæ erga Deum ſuper omnia, non omiſiſſent hoc loco amoris illius facere mentionem.

71. Secundò teſtimonia, quæ adducit P. Lupus, petita ſunt ex Enchiridio. Hoc Enchiridion, ſed breviſſimum, promiſerat Concil. Colonienſe tit. de diſſeminatione verbi c. 20. 21. & alibi. Verùm illud poſtmodum metas enchiridii egreſſum, præter inſtitutum in juſtum volumen excrevit; ut in ſua ad Enchiridion præliminari epiſtola teſtatur Hermannus Archiepiſcopus, qui vel ipſe id concinnavit, vel ab alio compoſitum ſuo nomine evulgavit. Hinc quæ ex Enchiridio depromuntur, non Concilii, ſed authoris, quiſquis ille ſit, authoritatem ſolummodo habent; quæ quanta ſit, patebit ex ſequentibus.

72. Tertiò igitur Author Enchiridii paſſim conſentit Luthero aſſerenti,

renti, quòd justificemur per fidem, quòd ad iustificationem requiratur fides certa & minimè hæsitans, quâ peccator firmiter credat sibi peccata esse remissa, quòd per hanc fidem seu fiduciam, tanquam per instrumentum, accipiamus & apprehendamus remissionem peccatorum; sic pag. 148. sibi objicit: *Quod si nobis dicas, non assentior veteribus, qui verba ligandi atque solvendi, remittendi & retinendi, disquisitionem quandam criminum exigere existimaverunt: sed ipse hæc verba ad fidem tantùm refero, ut is solvendus sit, qui dicat se tantùm credere, sibi per Christum remissa esse peccata, etsi non confiteatur eadem speciatim; is verò ligandus .... qui sibi peccata remitti non credit.* Ad quam, ex hæreticis petitam, objectionem sic respondet Author Enchiridii. *Respondebimus, nos nequaquam inficiari, fidem remissionis peccatorum, quam in nobis efficit Spiritus S. omnino necessariam esse in Pœnitente, qui velit clavium fructum percipere..... virtute clavium non solvitur peccator, nisi mentem habeat hâc fide præparatam.* Ubi admittit necessitatem fidei seu fiduciæ ab hæreticis assertæ.

Et pag. 166. *De justificatione sic simplicissimè ac planissimè dicimus, Evangelium initio utitur ministerio legis..... terrefacit conscientiam..... postea accedit fiducia, quam mens contrita & humiliata capit ex promissione Evangelii, & quo se erigit credens sibi remitti peccata gratis propter Christum, quod cum fit, simul donatur Spiritus S. per quem diffunditur charitas.... quâ justificatur homo..... idque per fidem in Christum, quâ tamquam instrumento remissio peccatorum, & renovatio interioris hominis & vita accipiuntur, habentur, ac retinentur. Hæc doctrina est planè Apostolica, quam & Patres, & tota Ecclesia semper est amplexa.*

73. Rursus pag. 167. col. 2. ad objectionem ex hæreticorum dogmate petitam respondet. *Hoc docemus, nempe justificationem..... esse gratuitum Dei donum, quod consistit in remissione peccatorum, & renovatione voluntatis, quæ non aliter à Deo gratis donante accipiuntur, quàm per fidem in Christum, fidem quidem non dubitantem aut ambigentem, sed nihil hæsitantem. Ut clarissimè, quid velimus, & quo pacto hæc res in nobis geratur, intelligas, repetimus ac dicimus, te per fidem donum justificationis tunc demum accipere, cum & perterrefactus ac concussus in Pœnitentia, rursus erigeris per fidem, credens tibi remissa esse peccata.* Pergit pag. 168. versâ. *Fatemur verum esse, ad justificationem hominis omnino requiri, ut homo certò credat non tantùm generaliter, quòd propter Christum verè Pœnitentibus remittantur peccata, sed quod ipsimet homini credenti remissa sint propter Christum per fidem. Nam qui dubitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quod accipiat aliquid à Deo.* Rursus pag. 169. col. 2. *Si occurrat; quis scit an amore, an odio dignus sit? Hîc jam non oportebit in opera nostra respicere, nam hæc statim nos facient dubitare, sed planè fidem nobis subvenire necesse est, atque adeò hîc oportet sinceram rei veritatem,*

veritatem, ut quod de nobis latet in corde Patris, id ipsum nobis per ipsius Spiritum reveletur, & Spiritus ejus testificans spiritui nostro persuadeat, quòd filii Dei sumus .... Quòd si rursus in animum meum jubeat: scio quidem passionem Christi potentissimam esse, sed qui sciam an data & applicata sit mihi? hîc respondeb.t fides, mihi data est, quia alteri dari non potuit. Et plurima sequentia in eundem sensum.

Ac denique pag. 172. *verum causa (ut ita dicamus) instrumentalis justificationis proxima, fides in Christum est, quâ credimus per redemptionem, quæ est in Christo JESU, nobis remitti peccata: eâ enim tanquam instrumento immediato ad hoc à Deo comparato accipimus & apprehendimus remissionem peccatorum .... ea fiducia justificationem impetrat & accipit.* Plura in eundem sensum alibi tradit, semper in hoc dogmate sibi constans. Hæc fusius ex Enchiridio adduxi, ut constet quale sit illud opus, quod *venerandam Synodum* appellat P.Lupus. Multi, ut arbitror, judicabunt, & meritò, Hermannum, dum hoc Enchiridion concinnavit, aut suo saltẽ nomine vulgavit, jam tum orsum fuisse telam, quam postmodum pertexuit. Nam, ut refert Spondanus ad annum 1543. Hermannus à suis aulicis Lutheranæ doctrinæ sectatoribus persuasus, specie reformandi Clerum & abusus in religionem introductos auferendi, egregium scilicet virum ad id munus elegit Martinum Bucerum; cui, nequidquam obnitente clero Ecclesiæ metropolitanæ, & Academiâ Coloniensi, concionandi munus publicè contulit; Bucero in eo munere socios impetrauit à Duce Saxoniæ Melanchthonem, à Lantgravio Pistorium, Sarcerium, aliasque hujus generis pestes. Ob hæc à Paulo III. citatus, & demum excommunicatus, ac Archiepiscopatu cæterisque sacerdotiis privatus, eum alteri cedere coactus est.

74. Quartò Author Enchiridii censet, per confessionem & absolutionẽ Sacramentalem non remitti peccata, sed eò tantùm servire pœnitentiæ Sacramentum, tum ad consolationem pœnitentium; tum ut sacerdos signo visibili indicet, & ostendat pœnitenti, peccata per Deum esse remissa; tum denique ut per externum illud signum firma reddatur fides, seu vana illa fiducia, quâ pœnitens certò credit, peccata sibi esse remissa: ita enim loquitur pag. 149. *Nemo delinquentem absolute cogit, ut confiteatur; attamen si velit certum testimonium remissionis peccatorum (quæ eum angunt) accipere, necesse est ut absolutioni confessionem præmittat.* Et fusius pag. 177. *Principio ergo roget aliquis; si verum est, peccata in interiori pœnitentia remitti, ac hominem justificari, quid exteriori pœnitentiâ opus est? aut quidnam post remissionem culpæ, & abolitionem pœnæ æternæ (quæ in interiori pœnitentia Deus operatur) facit Sacerdos?* Cui quæstioni respondens supponit, vi pœnitentiæ interioris remitti peccata, & assignat Sacramenti effectus supra

dictos

dictos; sic enim pergit. *Hac quæstio ex superioribus satis explicari potest; sed ut res clarissime intelligatur, id animo repetendum est, quod paulò ante diximus, necesse esse, ut remissionem peccatorum accipias, certò credere, tibi remissa esse peccata propter Christum. Jam cum certitudo non judicio sensuum aut rationis effici in nobis queat, sed fide tantùm; constet autem, fidem in paucissimis hominibus, præsertim his, qui gravioribus criminibus occupati quandoque fuerunt, ad eam certitudinem (nisi externis signis juvetur) pervenire, ut certò credant aut statuant, se esse in gratia, nimirum diffidentiâ & dubitatione de voluntate Dei, quæ in animis nostris naturaliter hæret, cum fide perpetuò luctante: idcirco Christus huic imbecillitati fidei nostræ per externum Sacramentum subveniendum ratus, Pœnitentiæ Sacramentum instituit....quo fidem nostram de remissione peccatorum stabiliret, & confirmaret; atque eam ob rem Sacerdotibus insignem illam potestatem contulit, remittendorum scilicet peccatorum, hoc est, potestatem signo visibili indicandi & ostendendi, confitenti ac pœnitenti peccata per Deum esse remissa* &c. Eadem habet. pag. 180. & sequentibus: atque etiam ex hoc solo capite manifestum est, perperam contra nos citari Enchiridion; nam, cum neget Sacramento omnem efficaciam ad remittendum peccatum, quid mirum est quòd requirat amorem cum Sacramento? Vide dicta 5. superiore num. 53.

75. Quintò. Quidquid sit, an author Enchiridii requirat actum charitatis erga Deum ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ, (cujus oppositum ostendi posset fortè non difficulter) omnino nego id haberi ex testimoniis, quæ ex illo in sua Epistola adducit P. Lupus. Ratio manifesta est; quia Enchiridii author pag. 119. ubi incipit tractare de pænitentia, ait de pœnitentia, quæ propriè Sacramentum est, acturum se postea. Et rursus pag. 121. col. 2. idem repetit: *Porrò Ecclesiastici Patres, veram pœnitentiam tribus partibus constare nobis prodiderunt, contritione, confessione & satisfactione. Loquimur autem de pœnitentia, non quæ propriè Sacramentum est &c. sed de pænitentia loquimur, quæ totam hominis conversionem seu renovationem complectitur. Ea enim tum demum perfecta, consummata, ac fructuosa censetur, si tribus illis partibus constet.* Et statim pag. sequenti incipit tradere ea omnia, quæ nobis objicit P. Lupus, ac longè infra, nempe pag. 177. tangit aliqua de Sacramento Pœnitentiæ, de quo ex professo sermonem demum instituit pag. 180. ubi ponit hunc titulum *De Sacramento Pœnitentiæ.* Jam quæro à P. Lupo, unde probet, quòd ea, quæ de contritione interjicit Enchiridion inter initium, & locum ubi tractat de Pœnitentiæ Sacramento, intelligenda sint de contritione, prout ea pars Sacramenti est, & non potiùs de contritione perfecta, ac per se justificante; præsertim cum in verbis jam citatis dicat,

se agere de pœnitentia *perfecta* & *consummata*; neque quemquam, qui Enchiridion legerit movere poterit, quòd eodem loco alteram pœnitentiæ partem assignet Confessionem; nam infra pag. 137. & sequentibus, fusissimè agit de confessione interiori, quâ peccator soli Deo confitetur, quam probat necessariam, licet Deus peccata nostra non ignoret. Et tandem pag. 177. ubi incipit agere de Sacramento Pœnitentiæ, ita loquitur: *Postquam de interiori Pœnitentia, in qua hominis justificatio peragitur, & de partibus ejus (quæ sunt cordis contritio, mentis erga Deum cum fiducia accipiendæ misericordiæ confessio) dictum est &c.* Vacillat ergo rursus ex alio capite objectio P. Lupi; quòd nempe, licet Author Enchiridii esset sanæ doctrinæ, licet Sacramento non denegaret virtutem peccatorem justificandi, ostendi tamen non posset, quòd in testimoniis, quæ ex illo pro necessitate amoris ad pœnitentiam depromit P. Lupus, agat de ea Pœnitentia, cui susceptio Sacramenti conjungitur.

76. Sextò denique P. Lupus pag. 20. dicit, nostram attritionem à veneranda Synodo, id est, ab authore Enchiridii, vocari contritionem impii & Judæ. Ut autem hunc Authorem id faciat dicere, assuit parenthesim à mente authoris Enchiridii planè alienam. Hæc adfert P. Lupus verba desumpta ex Enchiridii pag. 137. ubi cum varia requisita ad contritionem præmisisset, ut odium peccati, propositum vitæ novæ &c. tandem addit Enchiridion: *Quintò postquam de omnibus peccatis tuis graviter, & ex animo indolueris, diesque tuos in amaritudine animæ tuæ recogitaveris, ac firmiter in corde tuo statueris desinere à malo, & facere bonum, tum fides accedere debet contritioni* (hîc interserit P. Lupus, id est, fides tertiæ rationis) *quâ fiduciâ misericordiæ Dei rursum erigaris & consolationem accipias, confisus tibi sic affecto peccata tua propter Christum remissum iri. Nam hæc fides (ut & supra diximus) contritionem perficit, atque discrimen facit inter contritionem pii & impii, Petri & Judæ. Ideo enim non profuit Judæ Pœnitentia, quia hâc fide caruit &c.* Post hæc ex Enchiridio relata verba concludit P. Lupus: *Ex solo servili gehennarum metu, citra fidem in Deum, seu castam Dei super omnia dilectionem formata contritio apud hanc venerandam Synodum est Judæ contritio, non Petri.* Ne autem dicas, in verbis illis Enchiridii nihil omnino innui de casta Dei super omnia dilectione, occurrit P. Lupus; Enchiridion requirit fidem. Requirit, fateor; id est, inquit P. Lupus, tertiæ rationis fidem, nempe quæ continet charitatem, seu timorem filialem, de qua locutus fuerat Author Enchiridii diu ante. At unde, quæso, habes, de tali determinatè fide loqui? cum hoc loco nihil sit, quod indicet, de fide in illa potiùs acceptione loqui, quàm in alia. Cæterùm malè ad parentheses & explicationes merè pro libitu intrusas recurritur in illis testimoniis, in quibus

Author

Author ipse explanat, de qua fide loquatur, prout hîc facit author Enchiridii: cum enim dixisset, requiri fidem, explicans quænam ea sit, subjungit: *quâ fiduciâ misericordiæ Dei rursus erigaris, & consolationem accipias, confisus tibi sit affecto peccata propter Christum remissum iri.* Datâ autem hâc fidei explicatione, in quâ nulla fit mentio castæ Dei super omnia dilectionis, statim subdit: *nam hæc fides contritionem perficit, & discrimen facit inter contritionem pii & impii, Petri & Judæ.* Quis non videat, Enchiridion hîc agere de fide illâ firmâ, seu potius vanâ fiduciâ, & præsumptione minimè dubitante, quâ pœnitens firmiter credat, sibi remitti peccata; quam fidem seu fiduciam author Enchiridii, ut patet ex dictis supra num. 72. & 73. vult adeo esse necessariam, ut sine illa justificatio peragi nequeat. Et ne de hac agi dubium esset, dicit, se de fide, de quâ hîc agit, & tractasse supra, & inferiùs latiùs expositurum, quod de sola hac vana fiducia verificari potest, de qua supra egerat tum alibi, tum præcipuè pag. 129. ubi ait: *Ergo cum peccator peccati horrore pavidus, & pœnæ metu contremiscens, ac de seipso (suæ infirmitatis sibi conscius) desperans, per fiduciam misericordiæ in Christo nobis propositæ ad Deum confugit,* CREDENS SIBI POENITENTI *in Christo JESU* REMISSUM IRI PECCATA *per fidem accipit gratiam justificantem.* Infra verò de hac vana fiducia agit fusissimè: aliqua attulimus supra num. 72. 73. Denique Enchiridion statim post verba à P. Lupo adducta dicit, ideo Petro profuisse contritionem, quia accessit hæc fides, quâ *misericordiam Dei apprehendit:* hac phrasi infra passim utitur pro suâ illâ hæreticâ fiduciâ.

Ecce, si authori Enchiridii, seu (ut vocat P. Lupus) *venerandæ* huic *Synodo* credimus; omnis contritio Catholicorum, etiam perfectissima, erit contritio Judæ, cum ab omni contritione vanam hanc & hæreticam fiduciam procul abesse debere pronuntiet Tridentinum.

77. Quod adfert ex Enchiridio, juxta Patres, & omnium piorum sententiam rectè inchoari pœnitentiam à timore: nobis, qui illud admittimus, non adversatur; sed illos petit, qui dolorem ex timore, charitate destitutum, malum asserunt, vel illi necessariò conjungi concupiscentiam actualem mortaliter malam; viderint illi, quid respondeant ad SS. PP. & piorum consensum in oppositum.

§. 3.

Respondetur ad objecta ex Synodo Tridentina, & Concilio Provinciali Senonensi.

78. EX Tridentino opponit 1. P. Lupus pag. 16. quòd nempe Synodus definiverit, incussos ex agnito peccato terrores non esse partem pœnitentiæ, id est, non esse Contritionem: nempe Ses. 14. c. 3. ubi, cum definivisset, tres esse Pœnitentiæ partes, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, *eorum sententias damnat, qui pœnitentiæ partes incussos conscientiæ terrores, & fidem esse contendunt*, sive, ut clariùs habetur can. 4. qui respondet dicto capiti: *si quis dixerit, duas tantùm esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, quâ credit quis sibi per Christum remissa peccata: anathema sit.* Quo anathemate ictum me (adeoque omnes etiam in hac Academia prædecessores suos, qui communem tenent de Attritione sententiam) pronunciat P. Lupus pag. 42. *De puro puto*, inquit, *servili gehennarum metu nihil liquidò definivit Sacrosancta Synodus, nisi ipsum non esse Pœnitentiæ, seu veræ contritionis partem, cujus anathematis fulmine ictus omnino est accusator: Attritionem enim purè putè servilem docet, adeoque & servilem gehennarum metum affirmat esse ejus partem.*

79. Resp. nihil hîc dici, quod vel in speciem faciat contra nos: nam primò Synodus damnat eos, qui tantùm duas ponunt pœnitentiæ partes, & non tres, prout statuit Synodus: Unde etiam damnabiles essent, qui ponerent has duas tantùm Pœnitentiæ partes, contritionem & fidem. Secundò Hæretici non tantùm errabant in numero partium Pœnitentiæ; sed & in ipsis partibus assignandis; nam illa vana fiducia nullo modo ad Pœnitentiam spectat; & terrores illi, cum etiam in iis reperiantur, qui in criminibus manent obstinati, vel etiam qui actu peccant, nullo modo sunt prima pars Pœnitentiæ, seu Contritio, ut sæpe diximus.

80. Quod addit de fulmine Tridentini in nos cadente, ex jam dictis patet, ridiculum & vanum esse terriculamentum, tantum distans à rectè fundatâ objectione, quantum terrores à Luthero admissi à verâ, quam Catholici passim tradunt, Attritione, quæ est dolor de peccato commisso, & propositum non peccandi de cætero, concepta ex metu gehennæ, cum spe veniæ &c. De hac Tridentinum solùm tradere, quòd non sit pars veræ pœnitentiæ, credere poterit, qui nihil umquam de Tridentina Synodo inaudivit. De nostra Attritione agere Tridentinum

Ses.

ses. 14. cap. 4. ostensum est manifestè in tract. de Attritione cap. 8. quia autem argumenta illic facta dissolvere nequivit P. Lupus, ea transiliens, credit, se sufficienter ea difflasse, dicendo, non agi à Synodo de Attritione in sensu nostro. Notatu quoque dignum, quòd P. Lupus, dum in verbis citatis ait à Synodo definiri, terrores non esse partem Pœnitentiæ, addat; *seu vera Contritionis.* An fortè credit, idem esse Pœnitentiam & Contritionem, hancquè etiam complecti confessionem, & satisfactionem? Tres partes pœnitentiæ tradit Tridentinum, uti & quænam requirantur ad primam Pœnitentiæ partem, Contritionem: an autem ea, quæ enumerat in descriptione Contritionis, vocandæ sint Contritionis partes, nec ne, nihil determinat Tridentinum, adeoque nec hoc, an timor sit vocandus pars Attritionis. Determinet, per me licet, P. Lupus, an dum quis dolet de peccato partim ex timore pœnæ, partim ex amore justitiæ, timor vocandus sit illius Contritionis pars.

81. Opponit ex eadem Synodo sessionis 6. canonem 3. *Si quis dixerit sine prævenienste Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit.*

Respond: hìc de Pœnitentia nihil aliud definiri, nisi quòd ea, ut prosit ad vitam æternam, debeat esse ex gratia: quid hinc, quæso, contra nos?

82. Denique adfert Concilium Senonense damnans hunc Lutheri articulum: *Non licet inducere homines ad pœnitentiam per timorem gehennæ.*

Respond: Hunc articulum damnant omnes nostræ sententiæ Authores; non video tamen, quâ specie damnare illum possint ii, qui cum Luthero asserunt, dolorem ex metu gehennæ conceptum, esse malum, & peccaminosum, vel necessariò conjunctum habere peccatum mortale: quare hos petit dicta damnatio. At, inquies, juxta Senonense licet inducere homines ad pœnitentiam per timorem, ideoque timor gehennæ non est Pænitentia. Certissimum est, & sæpè à nobis dictum, timorem gehennæ, ibi sistendo, Pænitentiam non esse, sed tantùm inducere ad Pænitentiam, in quantum metus ille movet ad detestanda peccata, ad propositum emendationis, cui accedat spes veniæ &c. Hæc enim omnia simul sumpta Attritionem constituunt; non autem nudus timor, uti pluribus dixi in tract. de Attritione Num. 13. & 234. Nonne solidiùs ex hac definitione Concilii Senonensis intulissent Adversarii; ergo timor gehennæ nec malus est, nec habet necessariò concomitantem actum internum concupiscentiæ mortaliter peccaminosum?

 cujus

cujus oppositum asserebat Lutherus. De hac definitione Concili Senonensis rursus dicam infra cap. 11.

§. 4.

Richardus à S. Victore, Michaël Episcopus Merspurgensis & Bandinus perperam adducti.

83. P. Lupus pag. 30. cum dixisset omnem pœnitentiam, seu contritionem debere procedere ex amore Dei super omnia dilecti, aliàs fore fucum Contritionis: ad id probandum adfert ex Richardo Victorino hæc verba: *Qui veraciter de suis criminibus pœnitent, pro certo jam charitatem habent.*

84 Resp. hæc verba Richardi non invenio, nisi in argumento, quod sibi objicit lib. De potestate ligandi, & solvendi cap. 19. ubi sic scribit Richardus: *Ad ea, quæ superiùs dicta sunt, quidam quidem oppugnant, & dicunt; qui veraciter de suis criminibus pœnitent, pro certo jam charitatem habent... nemo enim, qui charitatis capax est, sine charitate salvari potest: sed (ut putant) qui charitatem habet, debito damnationis æternæ teneri non valet: quomodo ergo Sacerdos eum ab ejusmodi debito absolvit, si ante Sacerdotalem absolutionem charitate interveniente absolvi jam meruit?* Porrò rarò ducitur argumentum efficax de sensu Authoris, ex iis solis, quæ sibi objiciens refert.

85. Resp. 2. Sententiam Richardi esse, quòd solus Deus ad cordis Contritionem absolvat, & absolvere solus possit à reatu culpæ; Sacerdotes verò absolvant à solo reatu pœnæ, ut patet ex toto libelli istius discursu, præsertim ex cap. 4. 7. & 10. Hinc cum ministerio Sacerdotis, juxta Richardum, culpa deleri nequeat, consequens est, deleri eam debere per proprium actum de se justificativum, qui Sacramento sine culpa deficiente sufficiat ad delendam culpam, & debitum pœnæ æternæ: quod ejusdem tractatus cap. 8. fatetur Richardus: *Scimus*, inquit, *quòd verè pœnitens sine Sacerdotis absolutione æternam damnationem evadere potest, cum eam habere non potest.... Notandum quòd vinculum damnationis Dominus solvit conditionaliter.... Pœnitentem namque à debito damnationis absolvit sub tali conditione, ut eum oporteat, prout potest, Sacerdotis absolutionem quærere, & ad ejus arbitrium debito more satisfacere. Nam, si facere neglexerit, periculum æternum non evadit.* Et cap. 7. *Sola enim cordis confessio pœnitentis ad salutem animæ sufficit veraciter, cum articulus necessitatis, oris confessionem, & Sacerdotis absolutionem excludit. Unde rectè dicimus, quod tunc dominus absolvit. Sed quoniam oris confessio, & Sacerdotis absolutio à verè pœnitente exigitur, quamdiu in*

diu in hoc ipsum facultas conceditur, rectè quidem debitæ damnationis absolutio etiam Sacerdoti adscribitur. Denique ibidem cap. 4. ad illa Psalmi verba: *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei:* subdit Richardus: *Ex hac prophetica sententia datur intelligi, quòd ad veram contritionem, & confessionem cordis remittitur iniquitas veraciter pœnitentis.... Quod enim iniquitatis est, & impietatis statim ad veram pœnitentis animæ contritionem remittitur.*

Hinc patet hunc authorem perperam à P. Lupo contra nos citari, cum in Sacramento non agnoscat vim delendi peccata, quam solùm tribuit cordis contritioni, ac proinde meritò requirit charitatem, prout & nos requirimus cum quolibet Sacramento, quod caret virtute primam gratiam conferendi. Vide dicta supra num. 53.

86. Denique dum Richardus dicit: *qui veraciter de suis criminibus pœnitent, pro certo iam charitatem habent.* Quæro à P. Lupo, an loquatur de quacumque charitate, seu dilectione Dei super omnia; an verò de sola illa charitate perfectissima, quam ad Contritionem antonomasticè dictam requirit P. Lupus? Si agat de charitate quacumque, jam contrarius est P. Lupo; cum universaliter dicat iniquitatem statim dimitti ad veram contritionem, quod negat P. Lupus. Si verò loquatur de charitate illa perfectissima, rursus opponetur P. Lupo, vel P. Lupus sibi ipsi, qui negat charitatem perfectissimam requiri cum Sacramento, & nihilominùs exigi vult cum Sacramento eam charitatem, quam requirit Richardus.

87. Alterum opponit Michaëlem Episcopum Merspurgensem in sua Christiana de septem Sacramentis institutione, cujus fusissimum profert testimonium ex concione 58. habita Anno 1543. quod, ne quid videar omittere, hîc subjicio. *Atque hic quidem foret modus optimus, ex Dei amore à peccatis desistere, ac proinde foret optandum omnes nos eo potiùs nomine horrere & vitare peccata, quòd ex amore Deum nolimus offendere, quàm pœnæ formidine à peccato abstinere. Utinam omnium animi amore ejusmodi flagrarent, possentque ex animo dicere, quod quidam Deo devotus & integer Christianus quandoque dixit ad Deum: Præsta mihi Domine Deus, ut diligam te, atque sic, etiamsi damnandus sim, pœnam ipsam minùs molestè feram. Verùm non omnium animi sunt ita constituti, ut ex amore Dei resipiscentiam & conversionem auspicentur, magisque se peccasse doleant, eò quòd Deum peccatis suis offenderint, quàm quòd supplicium pertimescant. Hoc itaque rarum & infrequens est conversionis & pœnitentiæ genus; ea autem usitatissima ratio est, pœnitentiam seu contritionem obtinendi, ut seriò quis perpendat multitudinem & enormitatem suorum peccatorum & simul in memoriam sibi redigat minas gravissimas, quas intentat Deus impiis*

& pecca-

& peccatoribus. Considerat quoque severum illud & formidabile Dei judicium, quas calamitates & terrores impii sentient, ubi terribilis illa & irrevocabilis Christi sententia in eos fuerit prolata: ITE MALEDICTI *&c. Ex huiusmodi consideratione utique necessarium est, timorem in animis hominum existere: à timore autem concipitur pœnitentia, ut Augustinus ait...... Cæterùm hic timor, qui ex peccatorum & supplicii consideratione hauritur, necdum est vera illa contritio, quæ Deo accepta est, & quâ ad misericordiam commovetur, quæque impetrat remissionem peccatorum. Nihilominus tamen est instar ministri veræ contritionis, utpote ad veram pœnitentiam deserviens ac perducens. Nam hic servilis timor primùm* REPRIMIT IN NOBIS PECCATA, FACITQVE CESSARE A VITIIS. *qui est gradus ad veram pœnitentiam & contritionem.* Et rursus infra: *Nec jam solùm eâ de causâ dolet, quòd pœnam peccando commeruerit, sed multò magis eo nomine, quòd Deum offenderit; imò iam de pœna tantopere sollicitus non est, cum ultro se obtulerit ad omnia ea libenter perferenda, quæ ipsi Deus pro peccatis imposuerit, tantùm ut favorem & amicitiam Dei queat recuperare. Atque hic est verus & castus timor, cum ex amore Deum timere incipimus, exeriturque hinc vera illa contritio, quam Deus vult valere ad obtinendam peccatorum veniam..... Hunc contritionis obtinendæ modum plerique omnes Catholici Patres tradiderunt.*

88. Resp. Hunc authorem in verbis citatis agere de contritione antonomasticè dictâ, quam vocat contritionem veram: id manifestum fiet totam illam concionem & initium sequentis legenti: quod ne gratis dixisse videar illis, quibus hic author ad manum non est, hîc ostendo. Inprimis nostram Attritionem, ut veram pœnitentiam, laudat, in eadem concione pag. 334. ubi describens veram pœnitentiam ita loquitur: *Prima veræ pœnitentia pars est contritio, internus nimirum animi dolor, quo in conscientia sua incipit peccator perpendere, se in Deum peccasse, iramque ejus commeruisse, ac dolet se umquam deliquisse, secumque statuit, vitam in melius commutare, & à solitis vitiis abstinere; neque id tantùm rogat Deum, ut velit dare veniam peccatis suis; sed etiam in sua conscientia offert sese, estque animo paratus ad ferendum æquanimiter, quidquid ipsi Deus, vel per seipsum vel per alios legitimis modis pœnæ loco ferendum velit imponere. Atque hæc tria veram efficiunt Pœnitentiam, ubi & peccasse displicet, & vitæ emendandæ suscipitur propositum, atque animus paratus est perpeti, quidquid illi possit* TEMPORARIÆ *molestiæ occurrere,* TANTVM VT POENIS SEMPITERNIS ABSOLVI QVEAT, *quas se suis peccatis novit bene commeritum. Eum in modum affectus, est verè pœnitens.*

89. Ecce dolere de præteritis, proponere emendationem, & velle solvere pœnam temporalem, *tantùm ut pœnis sempiternis absolvi queat* (quæ est ipsissima nostra attritio) est vera pœnitentia, & sic affectus, est verè pœnitens. Tum infra pag. 336. adfert verba à P. Lupo objecta, quæ

quæ vel sola sufficerent, ad judicandum, authorem, dum dolorem in iis descriptum vocat contritionem veram, sumere pro Contritione, prout Attritioni opponitur (quæ vocis acceptio usitata est apud Authores, etiam juxta Catechismum Lovaniensium) 1. quia dicit, hunc modum fore optimum, & optandum esse, ut omnes ex amore Dei peccata horreant; ubi initio concionis agens de pœnitentia, pronuntiat, hanc esse necessariam. Adde, cum dicat modum pœnitendi ex amore Dei potiùs, quàm ex timore esse optimum, manifestè supponit esse aliam pœnitentiam, quæ non fit ex amore, nempe illam, quam in verbis proximè relatis descripserat. 2. Dicit hoc genus pœnitentiæ, quo magis dolent se peccasse, quòd Deum offenderint, quàm pertimescant supplicium, esse rarum & infrequens; quis autem dicet, eam pœnitentiam, quæ ad Sacramentum requiritur, & sufficit, esse raram & infrequentem? &c. 3. Dum dicit per timorem perveniri ad Contritionem seu amorem Dei, contra Lutherum agit; qui, quòd timorem crederet malum, nolebat pœnitentiam ullam à timore initium sumere.

90. His addo, quæ habet Michaël Episcopus concione sequenti; quæ ejus menti intelligendæ non parum subserviunt. Sic inchoat concionem 57. *Proximâ concione trium illarum partium primam tractavimus, quæ integram Deoque acceptam pœnitentiam constituunt, nempe contritionem, internum scilicet animi dolorem, quo dolet, & contristatur homo de commissis peccatis, proponens deinceps per gratiam Dei vitam in melius commutare, & à peccatis abstinere, & simul suspiriis & aliis piis studiis eò contendens, ut peccatis hucusque commissis queat exonerari. Audivimus illic hujusmodi contritionem, ut plurimùm & præcipuè in animo peccatoris posse exoriri, si seriò peccata sua commemoret, & perpendat, iisque opponat Scripturæ sacræ comminationes de pœnis & suppliciis peccatorum, unde tum timor in animo vel corde nascitur & existit. Neque tamen hic debet subsistere, ut ex tali tum peccatorum suorum, tum severæ iræ Dei contemplatione solum timorem concipiat; sed dabit operam, ut veniam pariter speret ex bonitate & misericordia Dei. Namque beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus. Solâ formidine terreri ob peccata, furum, flagitiosorumque est Pœnitentia, nec meretur gratiam, aut remissionem à Deo.* Postea addit, debere admixtum esse propositum non peccandi inposterum, quòd debeat esse de peccatis omnibus &c.

In verbis hujus Authoris hactenus allatis duo notanda sunt: 1. quòd asserat, *timorem reprimere in nobis peccata, & facere cessare à vitiis*: quod est contra P. Lupum. 2. quòd timor, si ibi sistatur, non sit vera pœnitentia; sed quòd debeat insuper sperari venia, accedere propositum non peccandi &c. quod ipsum toties jam à nobis inculcatum est.

91. Videamus an P. Lupo faveat (quem antiquum & laudatiſſimum ſcholarum Doctorem vocat) Bandinus, qui in 4. diſtinct. 20. Sic ait: *Denique cum Pœnitentia ſemper neceſſaria ſit, illa maximè laudabilis eſt, quæ non tantùm habet timorem; ſed & libertatem. Unde Auguſtinus: Nullus exſpectet, quando peccare non poteſt: arbitrii libertatem quærit Deus, ut poſſit delere commiſſa, non neceſſitatem, ſed charitatem, non tantùm timorem, quia non in ſolo timore vivit homo. Illa ergo, quæ in extremis agitur, non ſic laudabilis eſt, quia ex timore magis, quàm ex charitate eſſe videtur* (hæc ex Bandino P. Lupus pag. 46. quibus addo aliqua ſequentia.) *Quando ſcilicet magis te peccata dimittunt, quàm tu ea. Unde Auguſtinus; Si vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimittunt, non tu illa; & ideo ſic pœnitenti ſecuritas non promittitur. Si vis ergo à dubio liberari, age pœnitentiam, dum ſanus es.* Hactenus Bandinus.

92. Reſp. 1. Hîc tantùm agi contra eos, qui pœnitentiam differunt ad extremum vitæ articulum, quæ ſuſpecta apud omnes ſemper fuit, ex quocumque demum motivo concipiatur, quia tunc videtur quaſi extorta & parum ſincera. Neque hîc agit Bandinus de motivo, ex quo dolor de peccatis concipi debeat: nam eandem pœnitentiam, quam à moribundo factam dicit non eſſe ſecuram, ſtatuit certam eſſe, & à dubio liberam, ſi fiat à rectè valente: certum autem eſt pœnitentiam ſani & ægri non debere differre motivo.

Reſp. 2. eum agere de pœnitentiâ, quæ *maximè laudabilis ſit*, quod ad rem non facit: non enim quærimus, quid laudabilius ſit, ſed quid ſufficiens ac neceſſarium.

93. Reſp. 3. Bandinum in Sacramento Pænitentiæ non agnoſcere vim delendi peccata; ſed cenſere, abſolutionem non eſſe niſi indicium juſtificationis ante confeſſionem à Deo collatæ ad contritionem cordis. Ita enim loquitur diſtinctione 18. pag. 377. *Dimittit autem Deus peccata in cordis contritione ante confeſſionem..... quia debitum æternæ mortis ſolvit, & animam interiùs purgat.* Et paulò infra: *Sacerdos autem dimittit in confeſſione peccatum miniſterio officii, quo poteſt ligare, & ſolvere: ſolus enim Sacerdos evangelicus & ligat, & ſolvit; hoc eſt, ligatum vel ſolutum à Deo ex officio oſtendit; ſicut olim legalis Sacerdos contaminabat, & mundabat leproſum; id eſt, contaminatum, vel mundatum oſtendebat. Quam enim poteſtatem habebat iſte in corpore, hanc habet ille in mente.* Et ibidem diſt. 19. pag. 382. ſibi objicit: *ſed cum in contritione Deus dimittit peccatum, cur oportet quemquam deinceps Sacerdoti, hoc eſt, Eccleſiæ confiteri?* cui objectioni ſic reſpondet: *Arbitror inter cæteras cauſas, hanc eſſe præcipuam, ut per hoc Sacramentum unitas, quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiam, commendetur: ut, ſicut ſunt duo in carne*

in carne unâ, & in voce unâ, ita & duo sint in confessione unâ. Ecce quò confugerint ii, quibus hujus Sacramenti vis minùs erat perſpecta.

Hinc patet objectionem ex Bandino deſumptam vacillare, ac ruere ex multiplici capite,

§. 5.

S.S. Bernardinus Senenſis, Thomas de Villanova, Franciſcus Saleſius nobis minimè adverſantur.

EPiſtolæ familiaris cap. 7. hos adfert P. Lupus, tamquam manifeſtos ſuæ ſententiæ patronos, noſtræ adverſarios; cum tamen, ut jam videbimus, nec in minimo nobis adverſentur.

94. Ex S. Bernardino Senenſi hæc verba, loco non indicato, adfert P. Lupus pag. 69. *Ex his apertè elici poteſt, quòd, qui conteritur principaliter propter timorem inferni, & non propter amorem Dei, non eſt in ſtatu ſalutis; quia non dolet amore Dei, ſed amore ſui, ut ſi ceſſaret damnatio ex perpetrata culpa, ceſſaret & contritio illa. Sed ſecundùm Scotum in 4. diſt. 20. licet ad veram contritionem concurrat timor humilians, debet tamen concurrere amor inflammans; unde etſi in peccatore initiet timor pœnæ, ſuperveniens tamen amor talem timorem debet repellere.* Ita S. Bernardinus Tom. 1. ſerm. 12. de vera contritione; Fer. 3. poſt Domin. 1. Quadrag. art. 2. cap. 2.

95. Reſp. omnino incongruè hæc contra nos adduci: nam 1. cum non diſtinguat inter dolorem requiſitum in Sacramento, & extra illud; non eſt unde probetur, quòd per veram contritionem, de qua agit, non intelligat contritionem antonomaſticè dictam: præſertim cum ibidem art. 1. cap. 3. præmiſerit: *Ponunt Doctores differentiam inter attritionem & contritionem. Attritio enim eſt actus diſplicentiæ non cum privatione informitatis; ſed contritio eſt actus charitate informatus. Attritio enim oritur ex timore pœnæ, contritio verò ex conſideratione divinæ offenſæ.*

2. Quòd agat de contritione prout opponitur attritioni, inde datur intelligi; quòd contritioni, de qua hoc loco fuerat locutus, ejuſdem ſermonis art. 3. cap. 1. attribuat juſtificationem independenter à Sacramenti ſuſceptione.

96. Tertiò. Quia S. Bernardinus cenſet, ante abſolutionem Sacramentalem, vi contritionis culpam à Deo remitti, abſolutionem autem eſſe remiſſionis præhabitæ indicium, ſic tamen ut gratiam præhabitam augeat: nam Tom. 2. ſermone 27. (qui eſt de ſacra Confeſſione) art. 1. cap. 3. ſic habet: *Quæritur, quid dimittat Sacerdos homini pænitenti, cum*

per solam cordis contritionem ante confessionem crimina deleantur; ubi sunt claves Ecclesiæ, quas Dominus contulit Petro & successoribus suis; Quomodo enim liget Sacerdos pœnitentem, palàm est; à quo autem eum absolvat, non claret. Ante confessionem verò Deus maculam culpæ per cordis contritionem cum proposito confitendi tersit, & debitum æternæ mortis relaxavit. Qui enim contendunt Deum maculam & contagium peccati dimittere ante confessionem, Sacerdotem verò in confessione debitum æternæ mortis relaxare, audiendi non sunt: sed potiùs ipse Deus merito sanguinis Christi ab utroque absolvit pœnitentem. Mundat enim à criminali, & statim charitatem, quæ fuerat peccato mortua, habet; quare statim dignus æternâ gloriâ judicandus est. Ad quæstionem autem initio propositam non aliam adfert solutionem, quàm quòd Sacerdos ostendat peccatum esse remissum. Et ejusd. serm. art. 3. cap. 3. *Similiter dicendum est de confessione adjuncta absolutioni, quia secundùm quod in voto pœnitentis præcessit, à culpa liberabit: postea verò in actu confessionis & absolutionis gratia augetur.*

97. 4. Denique videtur S. Bernardinus etiam admittere, quòd cum Sacramento non requiratur contritio seu actus charitate informatus, ut dixit supra, sed sola attritio ex metu: nam cap. 3. proximè citato cum dixisset gratiam in absolutione augeri, subdit: *Et etiam peccata remittuntur, si præcedens dolor ad contritionem sufficiens non fuisset*, &c. Vide eumdem Tom. 3. in tractatu de Confessione circa finem.

98. An P. Lupus melius examinarit, & felicius adduxerit S. Thomam à Villanovâ authorem domesticum, dispiciamus. Ex ejus sermone in Dominica Passionis, varia adfert, in quibus ad veram contritionem hic Sanctus amorem requirit, negatque sufficere timorem inferni. *[illegible]*, inquit, *vel de pœna &c. sed dolendum est de peccato prout offensâ Dei; sic ut etsi nullum incommodum de peccato proveniret, neque esset infernus, etiam displiceret peccatum, quia Deus fuit offensus. ...Vera contritio ex amore Dei debet procedere, non ex timore aut amore sui.* & rursus: *Tertia conditio .... ut plus doleas de peccato, quàm de quovis infortunio.....si daretur optio, potiùs eligeres pati infernum, quàm eligere peccatum.*

99. Verùm hæc omnia nihil omnino favent P. Lupo, quia ex tota illa concione manifestum est, sermonem illic esse de Contritione per se justificante, & prout species est Attritioni opposita. Nam sub initium sermonis expressè Contritionem, de qua agit, ab Attritione distinguit: *Solus dolor ille contritio est*, (inquit pag. 160.) *qui est propter Deum; unde Attritio & Contritio non tam differunt, quia contritio est dolor intensus, & Attritio est dolor remissus; sed magis, quia Contritio est dolor perfectus propter Deum* (id est ex amore Dei, ut ipsemet explicat in verbis, quæ nobis

objic-

objiciuntur) *& Attritio est dolor imperfectus, & mixtus cum aliis respectibus.* Et infra: *Ex hac definitione possumus elucere quinque conditiones, quas debet habere dolor, ut sit perfecta & consummata contritio.* Contritio autem *perfecta* & *consummata* alia non est, quàm Contritio per se justificans. Ac demum enumeratis hisce coditionibus subjungit pag. 162. *Has conditiones debet habere dolor, ut sit perfecta contritio, quas si habuerit, procul dubio remittetur peccatum.* Quod probat ex Ezech. 18. Atqui hoc non competit Contritioni imperfectæ seu Attritioni, etiam juxta adversarios, cum Attritio ad illum effectum requirat actualem Sacramenti susceptionem, quod attrito sępe deesse potest; ergo agit de Contritione *perfecta*, prout ipsemet Sanctus exprimit.

Adde quod idem Author ibid. pluribus hortetur auditores, qui amorem Dei in se non sentiunt, ut saltem concitent dolorem ex metu inferni, aliorumque malorum; hunc autem dolorem, contra P. Lupum, pronuntiet esse valde bonum.

100. Sanctum quoque Salesium sibi faventem facere conatur P. Lupus, hæc adferens ex illius l. 2. de Amore Dei, quæ latinè sic sonant: *Pœnitentia, quæ amorem quidem Dei non rejicit seu excludit, (quamvis sine illo sit) bona est & optanda pœnitentia; sed imperfecta, & quæ salutem nobis conferre nequeat, donec pertigerit ad amorem, & huic permixta fuerit: unde, quemadmodum dixit Apostolus, si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest; sic quoque verè dicere possumus, licet pœnitentia tanta esset, ut copiosas lacrymas cieret dolor, &c. nihil omnino ad salutem totum id proficeret, si sancto Dei amore careamus.*

101. Apud illos, qui Salesium legerint, hæc objectio refutatione non egebit: per se enim manifestum erit hæc extra rem objici: nam lib. cit. cap. 18. agens de pœnitentia, quæ est virtus omnino Christiana, asserit hanc plurima habere motiva, timorem gehennæ, desiderium gloriæ cælestis, turpitudinem peccati, pulchritudinem virtutis, & tum illo cap. tum sequenti, pænitentiam ex horum motivorum aliquo conceptam, licet amorem Dei non involvat, sæpius bonam pronuntiat: plurimùmque laudabilem, natum quidem ex amore nostri, sed qui legitimus, justus, ac rectè ordinatus sit. Et hanc pænitentiam vocat imperfectam, addens amorem Dei esse pænitentiæ perfectionem ac complementum. Quo loco haud dubiè ad Tridentinum respexit, quod pænitentiam ex motivo metus sine amore Dei conceptam, vocat contritionem imperfectam seu attritionem; illam verò, quæ amorem habet pro motivo, perfectam. Ac tandem eodem cap. 19. subjungit ea, quæ adfert P. Lupus, quòd nempe actus pænitentiæ quantumcunque

cumque vehemens, & quantaſcumque lacrymas eliciat, niſi amorem involvat, inſufficiens ſit, ſeu non proſit ad ſalutem, quod veriſſimum eſt etiam in ſententia noſtra, & totidem ferè verbis traditur à Tridentino, Seſſ. 14. cap. 4. aſſerente, contritionem imperfectam ſeu attritionem conceptam ex metu gehennę, aut ſimili motivo ab amore diſtincto per ſe ad ſalutem peccatorem perducere non poſſe. Quòd autem S. Saleſius ibi tractet de juſtificatione, quæ obtinetur vi actus à pænitente eliciti, facilè probatur: tum quia in toto illo diſcurſu ne mentionem quidem facit Sacramenti: tum præcipuè ex iis, quæ tradit cap. ſequenti, nempe 20. ubi in initio diſcurſum de eadem pænitentia ſic proſequitur: *Elle eſt ardente, parce qu'elle contient la vertu & proprieté de l'amour, comme provenuë d'vn motif amoureux, & par cette proprieté elle donne la vie de la grace..... en vertu du motif de l'amour d'où elle prend ſon origine, elle nous reconcilie, & reünit à noſtre Dieu.* Et infra pag. 44. ſic concludit: *& pour le dire en vn mot, ce commencement d'amour ſe meſle avec la fin de la repentance, & en ce moment du meſlange, la penitence & contrition merite la vie eternelle.* Ubi aſſerit pænitentiam, de qua agit, involvere proprietatem amoris, ac vi hujus proprietatis vitam gratiæ tribuere, noſque Deo reconciliare, idque eo ipſo momento, quo initium amoris pænitentiæ immiſcetur. Atqui hæc locum tantummodo habent in actu qui ſe ſolo juſtificat: ergo de hoc ſolo actu ſeu de contritione perfecta hîc tractat.

102. Hîc advertat lector, quantùm ab hoc Sancto diſcrepet P. Lupus. Saleſius deteſtationem peccati ex metu gehennæ aut ſpe præmii cæleſtis ſine amore Dei conceptam ſtatuit ſpeciem pænitentiæ Chriſtianæ, eamque aſſerit bonam eſſe ac laudabilem. E contra P. Lupus dicit eſſe fucum contritionis ſeu pænitentiæ, eſſe pænitentiam Judæ, per eam Chriſtianos tranſire ad Judæos &c. Docet Saleſius, eodem momento, quo initium amoris pænitentiæ accedit, fieri reconciliationem peccatoris, quod omnino negat P. Lupus.

§. 6.

De Roberto Cardinale Pullo, ejuſque Scholiaſte Hugone Matthoud; & Joanne Morino.

103. P. Lupus pag. 23. præeunte Hugone Matthoud putat Robertum Pullum omnino favere ſuæ ſententiæ, de inſufficientia noſtræ attritionis cum Sacramento. Verba Pulli, ex quibus id haberi poſſit, habentur in Pullo, Senten. parte 5. cap. 31. ubi ſic ait: *Qui ex timore*

more pœnitet, adhuc est servus, quoniam flagra formidat; nondum filius, qui patrem amans sperat hæreditatem. Servus autem de habitaculo Saræ ejicitur, quippe hæres non futurus. Quamobrem quisquis, dum pœnitet, solùm timore angitur, nondum per pœnitentiam veniam meretur. Verùm qui largitur timorem, ut ex timore pœnitendi necessitatem incutiat, is cum pœnitentiâ largietur amorem, ut sit pœnitens veniâ dignus. Hactenus Pullus,

104. Resp. Robertum Pullum, licet per *amorem* intelligeret castam Dei propter se & super omnia dilectionem, non rectè tamen contra nos adduci, ut patet ex dictis sæpe, & præsertim num. 53. Quia censet hominem non absolvere à culpa, sed in cordis contritione peccatum semper dimitti; absolutionem autem Sacerdotis tantùm designare remissionem, quam antea peperit cordis contritio, ut sic consolatio fiat pœnitenti. Ita docet Pullus parte 6. cap. 61. & duobus præcedentibus: necesse non est verba proferre, cum ea adferat P. Lupus Epistolæ pag. 51. & 53. fateaturque hanc fuisse illius Authoris sententiam. Idem docet de Baptismo, per hunc nempe non dimitti peccata, sed ante remitti per præviam Contritionem in adultis. Vide ejusdem partis cap. 13. & 27.

105. Dixi, licet per amorem intelligeret Pullus amorem benevolentiæ erga Deum super omnia: nam sumpsisse amorem & charitatem in latiore significatione non pauca persuadent. Senten. part. 3. cap. 11. cum dixisset legem veterem esse servitutis & mortis, nostram verò legem libertatis & gratiæ, hanc sui dicti adfert rationem; quòd in veteri lege ad Dei cultum attraherentur metu & spe malorum & bonorum temporalium, nos verò spe bonorum permanentium, sive (ut fusiùs explicat cap. 14. pag. 107. col. 2.) timore gehennæ & spe gloriæ cælestis: tum subdit, in nostra lege, *quamvis timor Dei cultum præveniat, at charitas consummat:* nempe latiùs sumpta etiam pro amore concupiscentiæ seu desiderio gloriæ. Quod magis confirmatur ex iis, quæ præmiserat cap. 8. consummationem, quam hìc charitati, illic tribuens desiderio vitæ æternæ. *Et quidem Religio perfectionis, quæ utique Christianorum est, hujusmodi sordes non recipiens* (id est metum vel spem temporalium, ut constat ex antecedentibus) *alio timore, ejus scilicet, qui potest corpus & animam mittere in gehennam, inchoatur: alio desiderio, ut scilicet videatur Deus Deorum in Sion, consummatur.* Denique cap. 10. ejusdem partis, dum quis in arcto constitutus eligit potiùs respuere omnino felicitatem temporalé, quàm Deum offendere; illam vocat charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum: Atqui lex Dei (in qua includitur abstinentia ab omni peccato) consideratione æternæ vitæ non tantùm servari potest,

cumque vehemens, & quantaſcumque lacrymas eliciat, niſi amorem involvat, inſufficiens ſit, ſeu non proſit ad ſalutem, quod veriſſimum eſt etiam in ſententia noſtra, & totidem ferè verbis traditur à Tridentino, Seſſ. 14. cap. 4. aſſerente, contritionem imperfectam ſeu attritionem conceptam ex metu gehennę,aut ſimili motivo ab amore diſtincto per ſe ad ſalutem peccatorem perducere non poſſe. Quòd autem S.Saleſius ibi tractet de juſtificatione, quæ obtinetur vi actus à pœnitente eliciti, facilè probatur: tum quia in toto illo diſcurſu ne mentionem quidem facit Sacramenti: tum præcipuè ex iis, quæ tradit cap. ſequenti,nempe 20. ubi in initio diſcurſum de eadem pœnitentia ſic proſequitur: *Elle eſt ardente, parce qu'elle contient la vertu & proprietè de l'amour, comme provenuë d'vn motif amoureux, & par cette proprietè elle donne la vie de la grace..... en vertu du motif de l'amour d'ou elle prend ſon origine, elle nous reconcilie, & reünit à noſtre Dieu.* Et infra pag. 44. ſic concludit: *& pour le dire en vn mot, ce commencement d'amour ſe meſle avec la fin de la repentance, & en ce moment du meſlange, la penitence & contrition merite la vie eternelle.* Ubi aſſerit pœnitentiam, de qua agit, involvere proprietatem amoris, ac vi hujus proprietatis vitam gratiæ tribuere, noſque Deo reconciliare, idque eo ipſo momento, quo initium amoris pœnitentiæ immiſcetur. Atqui hæc locum tantummodo habent in actu qui ſe ſolo juſtificat: ergo de hoc ſolo actu ſeu de contritione perfecta hic tractat.

102. Hic advertat lector, quantùm ab hoc Sancto diſcrepet P. Lupus. Saleſius deteſtationem peccati ex metu gehennæ aut ſpe præmii cæleſtis ſine amore Dei conceptam ſtatuit ſpeciem pœnitentiæ Chriſtianæ, eamque aſſerit bonam eſſe ac laudabilem. E contra P. Lupus dicit eſſe fucum contritionis ſeu pœnitentiæ, eſſe pœnitentiam Judæ, per eam Chriſtianos tranſire ad Judæos &c. Docet Saleſius, eodem momento, quo initium amoris pœnitentiæ accedit, fieri reconciliationem peccatoris, quod omnino negat P. Lupus.

§. 6.

De Roberto Cardinale Pullo, ejuſque Scholiaſte Hugone Matthoud; & Joanne Morino.

103. P. Lupus pag. 23. præeunte Hugone Matthoud putat Robertum Pullum omnino favere ſuæ ſententiæ, de inſufficientia noſtræ attritionis cum Sacramento. Verba Pulli, ex quibus id haberi poſſit, habentur in Pullo, Senten. parte 5.cap.31. ubi ſic ait: *Qui ex timore*

more pœnitet, adhuc est servus, quoniam flagra formidat; nondum filius, qui patrem amans sperat hæreditatem. Servus autem de habitaculo Saræ ejicitur, quippe hæres non futurus. Quamobrem quisquis, dum pœnitet, solùm timore angitur, nondum per pœnitentiam veniam meretur. Verùm qui largitur timorem, ut ex timore pœnitendi necessitatem incutiat, is cum pœnitentiâ largietur amorem, ut sit pœnitens veniâ dignus. Hactenus Pullus.

104. Resp. Robertum Pullum, licet per *amorem* intelligeret castam Dei propter se & super omnia dilectionem, non rectè tamen contra nos adduci, ut patet ex dictis sæpe, & præsertim num. 53. Quia censet hominem non absolvere à culpa, sed in cordis contritione peccatum semper dimitti; absolutionem autem Sacerdotis tantùm designare remissionem, quam antea peperit cordis contritio, ut sic consolatio fiat pœnitenti. Ita docet Pullus parte 6. cap. 61. & duobus præcedentibus: necesse non est verba proferre, cum ea adferat P. Lupus Epistolæ pag. 51. & 53. fateaturque hanc fuisse illius Authoris sententiam. Idem docet de Baptismo, per hunc nempe non dimitti peccata, sed ante remitti per præviam Contritionem in adultis. Vide ejusdem partis cap. 13. & 27.

105. Dixi, licet per amorem intelligeret Pullus amorem benevolentiæ erga Deum super omnia: nam sumpsisse amorem & charitatem in latiore significatione non pauca persuadent. Senten. part. 3. cap. 11. cum dixisset legem veterem esse servitutis & mortis, nostram verò legem libertatis & gratiæ, hanc sui dicti adfert rationem; quòd in veteri lege ad Dei cultum attraherentur metu & spe malorum & bonorum temporalium, nos verò spe bonorum permanentium, sive (ut fusiùs explicat cap. 14. pag. 107. col. 2.) timore gehennæ & spe gloriæ cælestis: tum subdit, in nostra lege, *quamvis timor Dei cultum præveniat, at charitas consummat:* nempe latiùs sumpta etiam pro amore concupiscentiæ seu desiderio gloriæ. Quod magis confirmatur ex iis, quæ præmiserat cap. 8. consummationem, quam hîc charitati, ilic tribuens desiderio vitæ æternæ. *Et quidem Religio perfectionis, quæ utique Christianorum est, hujusmodi sordes non recipiens* (id est metum vel spem temporalium, ut constat ex antecedentibus) *alio timore, ejus scilicet, qui potest corpus & animam mittere in gehennam, inchoatur: alio desiderio, ut scilicet videatur Deus Deorum in Sion, consummatur.* Denique cap. 10. ejusdem partis, dum quis in arcto constitutus eligit potiùs respuere omnino felicitatem temporalé, quàm Deum offendere; illam vocat charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum: Atqui lex Dei (in qua includitur abstinentia ab omni peccato) consideratione æternæ vitæ non tantùm servari potest,

test, sed etiam facilè, juxta eumdem Pullum cap. 9. ibidem: ergo juxta illum, ex hoc motivo despicere terrena, est charitas.

106. Authori conjungo Scholiastem Hugonem Matthoud, qui in observationibus ad Pullum parte 5. c. 31. ita scribit: *Ex his verbis Authoris, & ex aliis ad cap. 13. supra relatis, liquidò constat, Attritionem ex solo metu gehennæ conceptam (de ea enim sic delineata hîc tantùm loquimur) ut veram Sacramenti partem, nec voce tenus, nec significato, veteribus & Pullo coætaneis Authoribus innotuisse: ut meritò scripseris Lopez, illius opinionis parentes fuisse Melchiorem Canum, & Henricum quemdam Salmanticensem; qui putant dolorem illum, quo solo metu inferni peccator concutitur, etiam sic cognitum, nec altiùs elevatum sufficientem esse dispositionem, ut accedente Sacramento justificantem gratiam consequatur. Sed ut nova hæc opinio, sic periculosa, & tantùm Scripturæ sacræ detrahens, quantùm Sacramento concedere putat. Nova quidem; cum certum sit, eam tantùm post Tridentinum Concilium emersisse* &c. Hæc objicit P. Lupus pag. 24. 25. 27. in quibus verbis totam suæ dissertationis doctrinam compendio traditam ab Hugone affirmat.

107. Nostrâ quidem parum interest, quòd Attritionem nostram, ut insufficientem, rejiciat Hugo Matthoud modernus Author. Si Senonenses in hujus suæ sententiæ patrocinium accersere volebat P. Lupus, poterat non Hugonem tantùm, sed & plurimos alios reperisse, qui subscriberent, neque huic tantùm sententiæ, sed & plurimis aliis ante paucos annos rursum excitatis: sunt hîc & in Galliis non pauci ab annis aliquot, quos omnes sciunt sententiam nostram rejicere; si modernos pro nobis adferre voluerimus, multùm superabimus. Licet ergo, ut dixi, parum nostrâ intersit, quid senserit Hugo Matthoud, libet tamen ejusdicta examinare.

Duo quæpiam in ejus verbis habentur nobis adversa; alterum; quòd sententia asserens, cum Sacramento sufficere dolorem ex metu gehennæ, sit nova, & quam *certum sit tantùm emersisse post Tridentinum*. Alterum; quòd sit periculosa, seu suspecta de falsitate.

108. Quod ad primum attinet; manifestam falsitatem obtrudit Hugo Matthoud pro certa & indubitata veritate. Ut patet ex iis, quæ diximus supra cap. 3. & tractatu de Attritione cap. 8. §. 4. ubi non paucos adduximus, qui nostram sententiam ante Tridentinum docuerunt. Præterea, ex eo; quòd Pullo & coætaneis illius fuerit hæc sententia ignota, malè infert Hugo, meritò dici primum ejus authorem fuisse Melchiorem Canum.

109. Quod ad alteram partem attinet; verba Hugonis supra parenthesi inclusa, nempe: *de ea enim sic delineata hîc tantùm loquimur*: dubium mihi

mihi ingerunt, an vel omnino rejiciat nostram, vel omnino faveat sententiæ vestræ. Porrò illic Attritionem solùm delineat hoc modo, *ex solo metu gehennæ conceptam: Dolorem, quo solo metu inferni peccator concutitur.* Nostra autem attritio habet adjunctum propositum non peccandi in posterum, & spem veniæ; quorum mentionem cum non faciat Hugo, profiteaturque sollicitè, se tantùm agere de ea, quam hîc delineat; dubium est, an agat de nostra Attritione. Videtur insuper per illam parenthesin excludere dolorem conceptum ex spe gloriæ cœlestis, aliisque motivis à timore gehennæ distinctis. Si enim hæc omnia complectatur, non video quo serviat dicta parenthesis.

110. Cæterum quidquid de eo sit, an rejecerit nostram sententiam, nec ne, nego hunc authorem consentire P. Lupo: censet enim Hugo Matthoud, ad Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ requiri contritionem antonomasticè dictam, seu vi suâ justificantem; sic ut hæc duo Sacramenta non aliam habeant efficaciam, quàm gratiam præhabitam augendi. Nam in annotationibus ad Pullum parte 5. cap. 13. volens excusare doctrinam Pulli, requirentis justificationem ante susceptionem Sacramenti, ita loquitur pag. 347. col. 2. *Secundum, quod labis suspicionem eximat ab authore, quodque vix in aliis scriptoribus coætaneis advertas, illud est, quòd aliquam sanctificantis gratiæ collationem tribuat Sacramento, etiam ab adultis suscepto, dum ad illud verè contriti accedunt. Quâ suppositâ veritate, nihil ferè discrepat ab multorum recentiorum placito, qui secundùm probabiliorem, & quam tutiorem credimus sententiam, de præmittenda necessariò Contritione ad susceptionem Sacramentorum Baptismi & Pœnitentiæ, sufficientem esse censent eorum efficaciam (quantùm ad effectum principalem) si gratiæ sanctificantis augmentum conferant.* Ecce juxta Hugonem illis Sacramentis, quantùm ad effectum principalem, qui est gratia sanctificans (ut nempe excludat characterem) tribuitur sufficiens efficacia, si gratiam augere dicantur, prout faciunt reliqua Sacramenta vivorum, ac propterea probabilior & tutior sententia est de præmittenda necessariò Contritione, non autem aliâ, quàm per se justificante seu perfectâ. An & quâ censurâ notanda veniat hæc Hugonis Matthoud sententia, aliis judicandum relinquo. Tantùm advertat lector, tum, quò tandem deveniant, qui communem & tritam Catholicorum viam deserunt; tum, quòd rursus hic author malè nobis à P. Lupo opponatur, qui his Sacramentis virtutem adimit primùm justificandi, Sacramenta mortuorum cum Sacramentis vivorum confundens, contra unanimem Catholicorum omnium consensum.

111. Quæro interim à P. Lupo, an ipse Hugoni hâc in parte assentiatur? si neget, fateri debebit hunc authorem æquè sibi, quàm nobis

adversari. Si requirenti Contritionem per se justificantem ad Sacramenti susceptionem, consentiat P. Lupus, huicque sententiæ conjungat mirabilem suam Contritionis per se justificantis descriptionem; quòd nempe cum ea stare nequeat levissimus affectus ad rem quampiam creatam, vi cujus in ejus amissione lacrymas aut gemitum funderet; si, inquam, has duas sententias combinet, quid aliud egerit, quàm uno, ut ita dicam, impetu fideles passim omnes in desperationem & gehennam præcipitare.

112. Denique, actum etiam est de Attritione, quam adinvenit P. Lupus, quæ nempe aliquem, non tamen perfectum amorem Dei habeat adjunctum; hæc enim non est Contritio perfecta, seu per se justificans juxta P. Lupum: nam Hugo Matthoud, quem virum doctissimum indigetat P. Lupus, cum multis recentioribus asserit, sententiam requirentem cum Sacramento Contritionem perfectam, seu per se ante Sacramenti susceptionem sanctificantem, esse probabiliorem & tutiorem: hic ergo æquè valebit contra ipsum argumentum, quòd contra nos format, quòd nempe in susceptione Sacramenti, sub mortali sequenda sit via tutior. Restat ergo, ut desertâ suâ de Attritione sententiâ, pronunciet, mortaliter peccare, qui Sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ non præmittunt Contritionem perfectam seu vi suâ justificantem. Videat jam P. Lupus, quos in labyrinthos se induerit, ex quibus nunquam se expediet, nisi deserto Hugone Matthoud in tritam à suis prædecessoribus viam fuerit reversus.

Hugoni subjungo alterum scriptorem modernum Joannem Morinum Congregationis Oratorii in Galliis Presbyterum. Hic Author solùm pronuntiat, nondum omnino certum esse & exploratum Attritionem, de qua disputamus, cum Sacramento ad impii justificationem sufficere; in quo æquè vel magis dissentit à P. Lupo, quàm à nobis: quare non est quòd huic immoremur.

113. Unum hîc præterire non possum; quòd nempe Morini verba ita conjungat P. Lupus; ut id, quod de alia sententia asserit Morinus, videatur dixisse de ea, quam tractamus. P. Lupus pag. 24. post relata ex Morino verba Ludovici Lopez, quibus sententiam nostram ut probabilem & non parum veritati & Concilio Tridentino consonam defendit, subjungit verba Morini sequentia: *hanc sententiam asserere probabilem, tum illi visum est aliquid insolitum audere.* Hactenus rectè ex libro 8. de Pœnit. cap. 4. num. 2. Pergit ibi P. Lupus; *& addit causam*, nempe Morinus, cur visus fuerit Lopez aliquid insolitum audere: tum subjungit verba Morini petita ex ejusdem capitis apud Morinum num. 8. ubi ait:

ait: *hæc quæstio planè nova est, & omnibus Scholasticis ante hoc sæculum incognita &c* Ecce, juxta P. Lupum, Joannes Morinus ejus dicti, quod Lopez sibi visus fuerit aliquid insoliti ausus, rationem adfert in his verbis: *hæc quæstio planè nova est &c.* quod ut verum esset, necesse foret Morinum in his postremis verbis agere de sententia Ludovici Lopez, quam retulerat nu. 2. falsissimum autem est, Morinum dicti capitis num. 8. agere de sententia Ludovici Lopez, & per consequens, de nostra, ut Morinum legenti non poterit non esse manifestum. Præmiserat Morinus ibidem nu. 7. sententiam quorumdam, asserentium, *justificatum semel in Sacramento per Attritionem ex sola formidine pœnæ conceptam non teneri amplius ex animo dilectionem Dei elicere:* sive eum, qui cum Attritione justificatur in Sacramento, liberari præcepto Deum aliquando super omnia amandi: & statim num. 8. dicit, hanc sententiam esse novam; &, ne dubium esse possit de qua loquatur, eamdem rursus ibi exprimit: sic enim loquitur num. 8. *hæc quæstio planè nova est, & omnibus Scholasticis ante hoc sæculum incognita, videlicet, an Attritio ex sola formidine pœnæ concepta, & Sacramento conjuncta dilectionem Dei suppleat,* ITA VT *hoc modo habitualiter justificatus dilectionem illam salutis obtinendæ causâ elicere nullo umquam temporis momento teneatur.* Nemo non videt duas hasce quæstiones diversissimas esse, nimirum: *An talis attritio sufficiat ad justificationem cum Sacramento;* &, *an per attritionem hanc cum Sacramento justificatus, liberetur obligatione hujus præcepti: diliges Dominum Deum tuum &c.* adeo ut totâ vitâ ei satisfacere non teneatur. Qui in prima harum nobiscum affirmativam tenent, passim omnes negant secundam; sicut enim justificatus manet aliis præceptis obligatus; ita & hoc, quod primum est maximumque mandatum, de Deo diligendo: quo etiam obligatur is, qui acceptam in Baptismo justitiam numquam amisit.

114. Rursus Morinus eodem num. 7. dum ait: *Dilectionem Dei præceptum esse divinum, cui saltem semel, quamdiu vivimus, post peccatum commissum est obtemperandum; antiqui scholastici omnes ad annum usque* 1500. *ut Patres prætercam, longè copiosiùs, liberaliùs, & magnificentiùs de obligatione dilectionis divinæ statuerunt.* Hìc, inquam, agit contra eos, qui asserebant justificatum semel cum Attritione ex metu per Sacramentum, nullo umquam tempore obligari ad eliciendum actum dilectionis Dei. Hinc P. Lupus pag. 24. relatis proximis Morini verbis pessimè & planè contra authoris mentem subjungit: *affirmat Morinus servilem attritionem, ab illorum nullo fuisse etiam cum Sacramento judicatam obtinendæ justificationi sufficientem.* Cum aliud omnino, ut jam ostendimus, illo loco agat Morinus. Neque dicat P. Lupus, has duas quæstiones esse inter se

ita connexas, ut, qui primam affirmet, non possit secundam negare; id enim numquam probabit; non sequi, constat ex dictis. Credideram hunc authorem P. Lupo magis familiarem, quàm ut sic ab illius mente aberraret.

§. 7.

An Adversariis faveat Petrus à Soto, Catechismus Romanus, Didacus Stella.

115. VEnio ad Petrum à Soto, ex quo tria nobis P. Lupus objicit pag. 14. testimonia. 1. in sua assertione fidei Catholicæ pag. 34. col. 2. ad hæc confessionis Wirtenbergensis verba: *Contritionem vocamus sensum divinæ iræ, seu dolorem aut pavorem animi ex agnitione magnitudinis peccatorum & gravis iræ Dei ortum.* Ita in Catholicis scholiis scribit Soto. *Adde & verâ Dei dilectione ipsum super omnia bona æstimante; sine hac verò de qua dictum est; dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum; contritio non vera est.*

2. Ibidem ad hæc hæreticorum verba. *Contritionem Lex Dei in homine excitare solet;* Soto pag. 35. lit. A. hanc ponit correctionem. *Imò reverâ sola gratia concedere...... primò non intelligunt Catholicam doctrinam de Contritione, quam nos intelligimus veram illam conversionem cordis à peccato, quam petiit sibi dari à Deo, qui dicit: converte me Domine &c. Ipsi verò contritionem vel certè dolorem huic conjunctum, humanum quoddam opus, virium scilicet humanarum putantes, primùm indignè sentiunt de illa, quæ tam prædicata est & tam necessaria; deinde magni assertores gratiæ non decent gratiam quærere, tunc cum maximè necessaria est, peccatori scilicet cupienti remissionem obtinere peccatis.*

3. Sententiam Catholicam ita proponit Soto pag. 37. *Contritionem vocat Catholica Ecclesia perfectum animi dolorem de peccato voluntati illi, quâ peccare libuit, oppositum, frangentemque duritiam illam cordis, quâ peccantes divinis præceptis & bonitati resistimus. Dolor quidem peccati imperfectus est ex quantacumque aut qualicumque fide procedens, & quantâsumque lacrymas & sensum doloris habeat, quousque ex Dei charitate..... dilectioneque illius super omnia bona & amabilia procedat &c.*

116. Resp. Primò, quòd hæreticos, asserentes, Contritionem esse opus humanarum virium & non ex gratia, redarguat Soto, non est ad rem: quis enim Catholicorum negat, requiri pœnitentiam, quæ sit ex gratiâ? Attritionem autem ex metu gehennæ esse supernaturalem ostendimus in tract. de Attritione cap. 7. & consentiunt omnes, excepto cum paucissimis aliis P. Lupo.

117. Resp.

117. Resp. Secundò, Petrum à Soto hic agere de Contritione perfectâ, seu quæ sine consortio actualis Sacramenti justificat. Constat id ex plurimis, quæ dicto loco habet Soto: ac 1. quidem pag. 36. lit. H. ait. *Sed, quod nunc etiam dicendum est, perfecta illa Contritio, qualis descripta est.* Ergo in præcedentibus, unde primum & secundum testimonium desumpsit contra nos P. Lupus, descripsit Contritionem perfectâ. Secundò pag. 37. post tertium, quod nobis objicitur, testimonium, subjungit Soto: *hæc Contritio semper, & ante legem & sub lege & revelatæ gratiæ tempore ad remissionem peccati lethalis necessaria est in adultis.* Agit igitur de remedio universali, quo quovis tempore etiam in lege veteri peccata remittuntur; hoc autem non est aliud quàm Contritio perfecta, seu per se justificans. Tertiò ibidem infra asserit, hanc Contritionem, *cum talis* AC TAM PERFECTA FUERIT, esse dispositionem ad justificationem, additque; *sine qua numquam, & per quam semper peccatum mortale remittitur.* Atqui Contritio, per quam semper peccatum mortale remittitur, non est nisi Contritio perfecta & per se justificans. Quod ibidem dicit, sine hac contritione numquam dimitti peccatum, intelligi potest, numquam id fieri per se & vi actus, licet fiat accedente Sacramento. Si hæc explicatio displiceat; per me licet, ut illud, *sine quâ numquam,* intelligas planè universaliter; hinc enim tantùm sequetur, quòd Soto eamdem illam Contritionem requirat accedente Sacramento, quæ semper, adeoque sine Sacramento actuali justificet, quæque requirebatur in veteri lege. Et sic intellectum Sotum perperam nobis objicies, ut patet ex dictis supra num. 53. & sæpissime hoc capite. Quartò denique, dum in eodem tertio testimonio dicit Contritionem ab Ecclesia vocari *perfectum dolorem*; alium verò dolorem, qui nondum procedit ex amore Dei vocat imperfectum, idem sentire videtur, quod cum Tridentino passim docent Catholici; nempe dolorem, qui elicitur ex amore, esse dolorem seu Contritionem perfectam; eum verò qui ex metu gehennæ aut spe gloriæ, vel simili alio inferiore motivo procedit, esse dolorem seu Contritionem imperfectam. Atque hinc patet P. Lupum pag. 15. post relata Petri à Soto testimonia, nullo fundamento sic concludere: *Istud ipsum, quod ego in Dissertatione dixi, asserit esse Catholicam totius Ecclesiæ confessionem.*

118. Ex Catechismo Romano duo in rem præsentem P. Lupus pag. 22. adfert testimonia; tertium, quod ibi subjungit, cum aliò spectet, infra tractabimus. Primum petitum est ex part. 2. cap. 5. num. 7. ubi sic habet. *Credere enim oportet ....præterea motus timoris consequitur, & suppliciorum acerbitate propositâ animus à peccatis revocatur.... huc deinde accedit*

ſpes impetrandæ à Deo miſericordiæ, quâ erecti vitam & mores emendare conſtituimus. Poſtremò charitate corda noſtra accenduntur, ex qua liberalis ille timor probis & ingenuis filiis dignus oritur; atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei Majeſtatem lædamus, peccandi conſuetudinem omnino deſerimus: hiſce igitur quaſi gradibus ad hanc præſtantiſſimam pœnitentiæ virtutem pervenitur. Alterum teſtimonium petitur ex ejuſdem cap. num. 24. quod ſic proponit P. Lupus: *Eſſentialem Contritioni dolorem affirmat* (Catechiſmus) *illum, quo non ex incurſo gehennarum reatu, ſed* EX AMISSA DEI GRATIA ET INNOCENTIA, *quod palam eſt caſtæ dilectionis*, AFFICIMUR.

119. Reſp. primum teſtimonium perperam adferri; neque enim illic quidquam dicitur quod à nobis non admittatur, nempe per illos gradus perveniri ad *hanc præſtantiſſimam pœnitentiæ virtutem.* Imò ſi velit P. Lupus, addam libenter unum adhuc gradum; nempe, quòd poſtremò non tantùm ſimpliciter charitate, ſed ardentiſſimâ quâpiam & perfectiſſimâ corda noſtra accendantur, ita ut jam terrena omnia deſpiciat anima, & uni Deo firmiſſimè adhæreat; nemo tamen dixerit me per hoc à ratione veræ pœnitentiæ excludere amorem minùs perfectum; ergo ſimiliter, quòd Catechiſmus gradus pœnitentiæ enumerans poſtremo loco tradat eam, quæ ex amore eſt, ſeu timore filiis digno, per hoc non negat, quin dolor ex timore ſit pœnitentia ſufficiens cum Sacramento: hoc enim ſpeciale eſt in duabus pœnitentiæ ſpeciebus, imperfectâ ſcilicet ac perfectâ; quòd imperfecta, licet verè pœnitentia ſit, via tamen ſimul ſit ad perfectam, & quidam quaſi gradus ad illam. Unde, dum Catechiſmus docere voluit, *quibus veluti gradibus ad pœnitentiæ virtutem aſcendatur*, non tantùm potuit, ſed debuit (etiam ſuppoſito, quòd noſtram ſententiam apertè tradat) eâ, quâ fecit ratione, in enumerandis gradibus procedere.

120. Alterum teſtimonium ex num. 24, minùs adhuc ad propoſitum facere patebit, ſi tantùm ipſa verba Catechiſmi ob oculos ponantur; hujus numeri titulus hic eſt. *Quare peccati deteſtatio vulgò à Theologis Contritio appellatur?* Et ſubditur in reſponſione: *nullus alius dolor, vel ex parentum & filiorum obitu, vel cujusvis alterius calamitatis causâ ſuſceptus, hoc nomine appellatur: ſed illius tantùm doloris proprium eſt nomen, quo ex amiſſa Dei gratia atque innocentia afficimur.* Hoc loco Catechiſmus ſolummodo aſſerit nomen Contritionis non attribui dolori ſuſcepto ob ereptos parentes, filios, bona temporalia &c. ſed ſoli dolori de peccatis: an autem dolor ille proveniat ex motivo amoris Dei, an ex alio, ne verbum quidem facit: quomodo ergo hoc loco invenit P. Lupus, quòd contritioni eſſentialis ſit caſta Dei dilectio? nam dolere de amiſſa gratia

gratia justificante, quæ jus ad gloriam tribuit, uti & de innocentia amissa, tam spectat, imò magis ad amorem concupiscentiæ, quàm ad amorem amicitiæ.

121. Porrò licet Catechismus Romanus apertè diceret (quod tamen non facit) ad veram Contritionem necessariò requiri amorem amicitiæ in Deum super omnia, nihil juvaret causam adversariorum; cum ipsemet author Catechismi postea dicat, se agere de ea Contritione, quæ vi suâ justificat. Nam num. 30. quærens, *quæ sit propria Contritionis vis & utilitas?* hunc ejus effectum assignat. *Quin etiam statim ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis à Deo tribui alio loco ejusdem Prophetæ verba declarant* &c. Hoc autem non competit, nisi Contritioni vi suâ, & independenter à Sacramenti susceptione actuali justificanti. Et rursus paulò infra ait: *Ex quo licet cognoscere veræ Contritionis, de qua supra dictum est, eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim à Domino impetremus.* Ubi notandum, quòd Contritionem, quam vocare solemus, & ipse alibi vocat perfectam, hîc vocet veram. Præterea num. 26. qualis ac quantus esse debeat dolor in perfecta Contritione inclusus, demonstrat ex eo, quòd *perfecta Contritio sit charitatis actio, quæ ab eo timore, qui filiorum est, proficiscitur.* Quo loco manifestè agit de contritione per se justificante, quam cum Synodo Tridentina *perfectam* appellat: & de hac agi fatetur P. Lupus. Ex quo ulteriùs infero Authorem Catechismi cum Tridentino agnovisse aliam Contritionem, quæ non esset charitatis actio; aliàs enim ineptissimè probaret dolorem, qui in perfecta Contritione includitur, esse vehementissimum, ex eo, quòd *perfecta Contritio sit charitatis actio*; si omnem Contritionem, etiam imperfectam, credidisset esse charitatis actionem. Et hoc arbitror sensu subjungit num: sequenti: *si id minùs consequi possimus, ut perfecta sit* (id est, ut num. præc. dixit, ut sit charitatis actio) *vera tamen & efficax contritio esse potest.*

122. Postremum pro se adfert Didacum Stellam qui in cap. 6. Lucæ pag. 168. ita loquitur: *Si tantum dolorem & pœnitentiam tuorum peccatorum habueris, & illorum causâ tot lacrymas fuderis, quot sunt guttæ aquæ in mari, si hanc pœnitentiam & dolorem habueris solùm, vel præcipuè ad cavens, ne in infernum eas, certissimè scias te hâc solâ ratione damnandum fore: nam in peccato duo considerare debes: alterum offensam, quam adversus Dominum tuum commisisti; alterum vero malum, quod tibi ipsi comparasti, quia teipsum ad æternam pœnam obligasti: si igitur te peccati tui potius pœnitet propter inferni cruciatus, quàm quòd Deum offenderis, manifestum est te potiùs id cavere & fugere, quod contra te est, quàm id quod est adversus Deum: unde fit ut te ipsum plus quàm Deum diligas;*

Idcoque

Ideoque nunquam peccatum tibi remittetur, quantumvis gravissimum dolorem habeas, nisi te pœnituerit Deum offendisse: hunc dolorem vocant Scholastici Attritionem, quæ filia est amoris proprii, ut Contritio filia est amoris divini. Hactenus Didacus Stella; & ex illo P. Lupus.

123. Resp. Licet hic author præ omnibus hactenus recensitis videri cuipiam primâ fronte possit nobis adversari, nullo modo tamen favere P. Lupo. Nam cum nullam mentionem hoc loco faciat Author Sacramenti Pœnitentiæ, unde, quæso, probabunt Adversarii, quòd hîc non agat de contritione per se & sine actuali Sacramento justificante? ad quam, quin amor requiratur, nec disputamus, nec dubitamus. Imò quod de Contritione hoc sensu agat, positivè suaderi possit ex verbis ultimis, quibus ait, dolorem ex metu, secluso Dei amore, vocari à Scholasticis Attritionem; Contritionem verò esse dolorem ex amore Dei: ergo dum dicit dolorem de peccatis debere esse ex amore Dei, intelligit de Contritione, prout hæc ab Attritione distinguitur, & huic tanquam altera species opponitur; hanc autem debere esse ex amore fatemur constantissimè. Unde ulteriùs patet, licet Author in verbis relatis expressè ageret de dolore requisito unà cum susceptione Sacramenti, nihilominus perperam nobis illum opponi; nam solùm sequeretur, quòd cum Sacramento Pœnitentiæ exigat Contritionem, prout hæc Attritioni opponitur: hoc autem æquè Adversariorum placitis, quàm nobis repugnat. Non parum etiam repugnat P. Lupo, dum Attritionem dicit apud Scholasticos vocari dolorem, qui fit ex amore proprio, illum verò, qui ex amore Dei, Contritionem; ubi è contra Adversarii negant sufficere ad Contritionem specificè sumptam, quòd dolor sit ex amore Dei; sed volunt hunc amorem Dei debere inesse etiam Attritioni, aliàs fore Contritionis fucum. Censet etiam contra Adversarios hic Author in cap. 3. Lucæ, Pœnitentiam ex timore servili procedentem revocare peccatores ab inordinato amore creaturarum, per timorem illos cohiberi ab illecebris, & voluptatibus &c. Denique Didacus loco citato non dicit, debere esse amorem Dei super omnia, quem tamen requirit Lupus.

124. Concludo hoc Caput satis prolixum, sperans fore, ut quilibet satis hinc perspectum habeat, quàm inefficacia & nulla sint ea testimonia hactenus examinata, quæ pro se adfert totâ Epistolâ P. Lupus; cum proinde immeritò illis relatis subdere pag. 70. *Innumera adduci possint ejusmodi testimonia: verùm quibus hæc testimonia non sufficerint, nec si quis ad prædicandam veritatem à mortuis surrexerit, credent.* Nam, licet fatear similia his, quæ hactenus attulit ad rem inter nos contro..rsam minimè facientia

testimonia

testimonia produci posse plurima, non requiro tamen miracula, sed firmas rationes & liquidas authoritates, quæ id assiruant, quod affirmat P. Lupus, aut id rejiciant, quod nos tenemus. Quænam autem ad hoc necessaria omnino sint, exposui supra §. 1. quæ si observare voluerit, videbit sibi deesse, quos sibi consentientes, nobisque adversantes meritò proferre queat.

CAPUT VI.

Quomodo P. Lupus duos primos articulos diluat.

EPistolæ familiaris capite 5. conatur P. Lupus aliquot articulos, seu accusationis (sic enim vocat) capita expurgare. Quid in hac re præstiterit, hoc & sequentibus capitibus examinabimus.

125. Ac primò quidem pag. 27. *Primum*, inquit P. Lupus, *accusationis caput est, quòd voce* ATTRITIO *abutar adversus communem intellectum, affirmans, ut vera sit, debere esse germanam Dei & quidem affectu saltem super omnia dilectionem.*

Rectissimè id notatum fuit, plurimi enim refert, receptas usu vocum significationes agnoscere, ac retinere; ex his enim pendet definitionum in Synodis intellectus, quæ facillimè eludentur, si unicuique licitum sit, quam voluerit, vocibus subjicere notionem. Ostendi eam vocem in sensu nostro constantissimè usurpatam post Tridentinum, etiam ab hujus Universitatis Scriptoribus; adduxi multos ante Tridentini tempora eamdem agnoscentes vocis *Attritio* nomenclaturam.

126. Quid ad hæc P. Lupus? statim convitio excipit illos, qui dicunt Attritionem ex metu sufficere cum Sacramento, eos vocans *hodiernos Laxones*. Verùm id hoc loco non agitur, an sufficiat nec ne, sed omnino diversa, nempe de vocis significato quæstio est. Idem, quod nos, per Attritionem intelligunt Gabriel, Estius, & novissimè Joannes Morinus lib. 8. de Pœnit. cap 4. num. 4. Licet quoad ejus cum Sacramento sufficientiam non perinde nobis assentiantur. Tum rursus aliò digreditur P. Lupus, nempe ad firmandam mirabilem illam suam & novam Contritionis definitionem. Ego ab uno in aliud vagantem non insequar, sed ea quæ sparsim, & sine ordine adfert, suis locis refutabo.

127. Tandem pag. 29. in medio, cum attulisset varias species charitatis, ut natam, nutritam, adultam, robustam, & totidem ex his

 enascen-

enascentes de peccatis dolores, subjungit: *Et has species seu classes, quòd in distorto seu durato per peccata corde non quasvis, sed grossiores dumtaxat affixivas cupiditates frangant, posterior ætas vocavit Attritionem.* Quod probat ex D. Thoma in Supplemento q.1.art. 1. ubi ait hoc interesse inter fractionem & comminutionem seu contritionem; quòd frangi dicatur, quod in magnas partes dividitur; cominui verò, seu conteri id, quod in partes minimas reducitur.

128. Verùm nihil hîc D. Thomas dicit de cupiditatibus affixivis, nihil de casta Dei super omnia dilectione, nihil denique de Attritione, prout Contritioni opponitur, de qua hîc quæstio. Imò vel ex hoc solo D. Thomæ articulo efficaciter rejicitur illa à P. Lupo excogitata Attritionis descriptio. Nam D. Thomas ibidem dicit dolorem, qui ad remissionem peccati requiritur, per similitudinem ad contritionem in materialibus vocari Contritionem; ergo censet per dolorem seu Contritionem cordis requisitam ad justificationem, fieri comminutionem in partes minimas, unde non agnoscit divisionem P. Lupi in partes grossiores. Porrò quid intelligat per comminutionem in partes minimas repertam in cordis Contritione, ibidem explicat D. Thomas, nempe, *quia ad dimissionem peccati requiritur, quòd affectum peccati homo dimittat.* Tum pergit: *ideo actus ille, quo peccatum dimittitur, Contritio dicitur per similitudinem.* Ergo juxtà D. Thomam, qui affectum peccati dimittit, jam non tantùm in partes grossiores frangitur, sed conteritur, seu in partes minimas per similitudinem reducitur. Atqui qui habet Attritionem ex metu gehennæ, qualem nos requirimus, dimittit affectum peccati, ut manifestum est; ergo juxta D. Thomam non in partes grossiores, sed in minimas reducitur, & per similitudinem à rebus materialibus desumptam conteritur. Nihil ergo pro excogitata sua Attritionis descriptione subsidii habet in D. Thoma, quem unicum in illius patronum asciverat.

Ut autem P. Lupus præstaret, quod in titulo præmiserat, ostendere debuerat, quod minimè facit, significationem vocis, Attritio, quam nos tradimus, non fuisse circa & post Tridentini tempora usitatissimam. Hinc enim petendum est, quid per Attritionem intellexerit S. Synodus.

129. Alteram accusationem adducit P. Lupus pag. 30. his verbis: *Insignem accusationem continent hæc præfati Clerici verba (Hæc est Attritio de qua hîc disputatio instituitur, in qua reperiuntur jam dicta, non interveniente perfectæ charitatis, seu Dei propter se dilecti motivo)* Quid in his meis verbis contineatur accusationis non video: dicto cap. 2. explicueram, quid apud Authores

Authores passim intelligatur per vocem, Attritio, nempe dolor de peccatis cum proposito, ex metu gehennæ, accedente spe veniæ: addens de Attritione in hoc sensu à me disputationem institui.

At, inquies, dicitur, *perfectæ charitatis*: perfectam autem charitatem minimè requiri ad Attritionem cum Sacramento sufficientem, constanter docent illi, contra quos disputo.

130. Quam frivola sit hæc oppositio, primo intuitu videbit, qui, quæ dicto loco scripsi, vel obiter legerit. Ubi ne locus esset cavillationi, explicationis & claritatis loco subjunxi, *Seu Dei propter se dilecti motivo.* Causam item, cur amorem amicitiæ erga Deum vocarim charitatem perfectam, ibidem exposui, nempe ad distinctionem ab amore concupiscentiæ, quem charitatem Dei, & quidem super omnia, aliqui vocandum censent, quos illic produxi, & rursus aliquos supra num: 64. Lubuit ergo P. Lupo in re clara & manifesta, ad æquivocationem recurrere.

131. Ejusdem formæ est quod subjicit ibidem P. Lupus: ubi adfert hæc mea verba: *P. Lupus fatetur Davidem, Magdalenam, aliosque non videri habuisse actum veræ Contritionis.* Ad quæ, quasi falsum ac gravissimum crimen ipsi impegissem, exclamat P. Lupus: *Non dixi umquam, & spero Deo me custodiente, numquam dicere. Quisquis simile quid dixerit, anathema sit. Inter veram & perfectam, uti charitatem, ita & Contritionem est grande intervallum. Quin Regius Propheta ac Magdalena ex vera charitate pœnituerint, solus negare possit antiquorum Sanctorum & veteris legis blasphemus osor Marcion aut Manes.*

132. Sed quorsum, quæso, hæ exclamationes & anathematismi? accusationem fingis, ut aërem ferias: neque hoc, licet dissimules, ignorare potuisti, si legeris, quæ scripsi. Monui initio cap. 12. me in illius decursu sumere Contritionem antonomasticè, & prout Attritioni opponitur, ac sine Sacramento actuali justificat: & rursus num. 300. unde memorata verba desumpsit P. Lupus; rursus dico, me agere de Contritione hoc sensu: quam ibidem ostendo à P. Lupo statui talem, ut passim impossibilis sit; tunc addo; *Porrò cum satis intelligat hic Author talem actum passim esse quasi impossibilem, fatetur Davidem, Magdalenam, aliosque non videri habuisse actum veræ Contritionis.* Subjungo denique P. Lupum spem facere, ut etiam modo aliqui cum sola Attritione salventur. Quæ omnia evidenter ostendunt, me, cum Lovaniensium Catechismo & Authoribus passim, sumpsisse Contritionem, pro actu se solo justificante, quæque ab Attritione tamquam opposita species distinguitur. Signum est nihil solidi habuisse, quod in me carperet, quando tales sibi opponit accusationes.

133. Eodem §. repetit P. Lupus, quod D. Petrus, quando cum Christo in carcerem ire spopondit, habuerit charitatem, sed parvam ac invalidam. Verùm hoc planè extra rem est: qualis ejus charitas fuerit, non egi; hoc dixi, ex eo, quòd S. Petrus ad vocem ancillæ negarit, colligere P. Lupum, quòd non habuerit amorem se solo justificantem: id ex illo rectè sequi, rursus inficior; aliàs enim, qui Contritionem per se justificantem à se semel elicitam certò sciret, certus quoque esset, numquam se in posterum peccaturum mortaliter, adeoque & certus de salute; si enim postea peccaret, jam antecedenter, juxta P. Lupum, non habuisset talem contritionem, sive actum effectivè efficacem. Quod punctum in sua epistola ne verbo quidem attingit. Mihi tamen persuadere non possum, nec audeo, consequens illud à P. Lupo admitti.

Hinc patet malam ibidem esse hanc P. Lupi collectionem: *Hinc mea verba, per timorem solum citra charitatem de peccatis concepta Contritio est Contritionis fucus, recta sunt & vera.* Quomodo enim id sequitur ex eo, quòd charitas D. Petri fuerit parva & invalida?

CAPUT VII.

An timor nequeat cohibere peccata interna.

134. TErtiam accusationem proponit pag. 31. his verbis: *Aliud accusationis punctum est, quòd dicam, latentem in corde cupiditatem servili gehennarum metu frænari dumtaxat, & compesci à peccatis externis, non sanari & evacuari. Hæc opinio, inquit bonus Clericus, paradoxa est.* Hactenus P. Lupus: hîc me appellans *bonum Clericum*, quem pag. 8. vocarat *Clericum nescio quem*; fortè interea majorem nactus est notitiam.

Quæ clarè à me dicta fuerant, obscuris verbis involvere conatur. Cap. 3. tract. de Attritione ostendi evidenter, quòd metus gehennæ æquè possit retrahere à peccatis internis, quàm ab externis, & oppositam opinionem meritò vocavi paradoxam. Deinde ibidem cap. 5. ostendi dari posse timorem gehennæ, qui omne prorsus mortale actuale quantumvis internum positivè excludat: congessi plurimorum Patrum, & in his S. Augustini, testimonia pro hac veritate lumine naturæ notissima; dissolvi, quæ ex ratione opponebantur; explicavi loca Augustini, quibus suam sententiam stabilire conantur Adversarii; annotavi testimonia perperam à P. Lupo adducta.

135. Quid ipse ad hæc? ad rationes à me adductas ne verbum quidem

quidem facit, tantùm abest ut eas vel in minimo vacillare ostendat; quod quia non potuit, maluit dissimulare, & in verbis quibusdam æquivocationes comminisci, ut videretur aliquid saltem carpsisse: explicationes testimoniorum S. Augustini ex ipso Augustino petitas reliquit intactas. Quare nullo modo exsequitur, quod in titulo proponit: *Diluitur tertia accusatio:* restat ergo, ut ejus opinio sit verè paradoxa, & quidem æquè, quàm si quis fingeret amori Dei semper conjunctum esse affectum malum, secretum tamen, & ad quem intellectus non reflectat, prout ipse statuit esse actum timori necessariò connexum, de quo cap. seq.

At inquit P. Lupus epist. pag. 34. *Addo hanc propositionem (servilis gehennarum metus compescit & aufert sola peccata externa) esse mali comniatis, nec unquam à me assertam.* Necesse est hîc memoriâ lapsum esse P. Lupum; nam in sua dissertat. pag. 69. ait: *quòd gehennarum metus solam manum & alia membra compescat.* Idem tradit pag. 77. & alibi. At alio loco, inquiet, dixi etiam cohibere executionis imperium, seu pravi operis efficax decretum. Resp. nec id à me fuisse dissimulatum, uti videre potuit in tractatu de Attritione num. 25. & 60. quibus locis ex cohibitione efficacis decreti à P. Lupo admissa argumentum desumpsi: unde non habet, quod hîc justè queratur.

136. Pergit P. Lupus tum hîc, tum alibi, sparsim, ut solet, novis testimoniis firmare paradoxam illam opinionem, quòd metus gehennæ cohibere nequeat à peccatis internis, sed à solis externis, & horum efficacibus imperiis. Porrò licet videri quis possit abuti lectoris patientiâ, dum testimonia profert, aut refutat, quæ contra veritatem manifestissimam adferuntur, dabit tamen, spero, lector mihi veniam, si ea quæ profert P. Lupus, breviter examinem, ut appareat quàm infeliciter Authores pro se congerat, & perperam adducat.

Ac 1. quidem pag. 31. dicit se patenter sensisse cum Hugone à S. Victore, cujus ex Miscellaneorum 1. lib. 4. tit. 71. pag. 131. hæc ibidem profert verba. *Triformis est odor vitæ. Non delinquere, quod agit timor servilis. Nolle delinquere, quod operatur timor filialis. Non posse delinquere, quod confert gloria perennis. Primi sunt servi, secundi filii, tertii beati.*

137. Resp. Hæc malè sine dubio, & mente Hugonis non examinatâ à P. Lupo opponi, alias non objicienda: Hugo enim P. Lupo adeo adversatur quàm qui maximè: neque id potuerat ignorare, si, ut debebat, examinasset, quid per timorem servilem intellexerit Hugo.

Certum est, Hugonem à S. Victore per timorem servilem intelligere solum illum, quo timetur pœna ab hominibus infligenda; patet

 ex libro

ex libro 4. Allegor. in Lucam pag. 164. verba ejus retulimus supra num. 55. servilem autem timorem hoc sensu acceptum solùm cohibere ab opere malo externo evidentissimum est: ut ostendimus tract. de Attritione cap. 3. & tradit Hugo loco citato his verbis: *servilis timor pœnam, quæ ab hominibus infertur, metuit, & idcirco ei sufficit cessare à malo opere.* Unde, qui hoc timore agitur, si insuper abstineat à pravis desideriis inefficacibus, id non vi hujus timoris facit, sed alia ex causa.

138. Timorem verò gehennæ vocat Hugo timorem initialem; expressa ejus verba habes supra num. 55. De hujus autem timoris efficacia, quàm contrarius sit P. Lupo, verba Hugonis ex lib. 4. Allegor. loco citato manifestum facient: ubi sic loquitur: *Initialis verò timor, quia eam, quam Deus comminatur pœnam, declinare satagit: nequaquam sibi sufficere videt, ut ab illicita se operatione contineat: quia ei qui cor intuetur, non est satis ad probationem, si innocens fuerit actio, nisi etiam ipsa cordis cogitatio ante ejus oculos sincera & impolluta appareat.* Præmiserat autem hunc timorem cum perverso opere etiam pravas cogitationes resecare. Et rursus lib. 1. Miscell. tit. 108. pag. 60. *Ecce præambulos Dei, spiritum, commotionem, & ignem. Non venit Dominus ad te, nisi prius isti veniant. Spiritus est terror judicii æterni, qui si in cor peccatoris impegerit, & montes superbiæ dejicit, & petras duritiæ dissolvit.* Eumdem sensum sine dubio habent quæ tradit Hugo eodem lib. tit. 118. *Cum ad delectationem præcipitem impellit desiderium culpæ, cohibet à delectatione timentem providentia pœnæ. In hoc enim quod cernit, quod post culpam pœna sequitur sive in correctione, sive damnatione; refrænatur à culpâ sive in opere, sive in delectatione. Timor ergo frænum, ipse timor cohibet & stringit effluentem animum, & sistit ad tolerantiam, ostendens facilius* MALAM CONCVPISCENTIAM *vincere, quàm malam conscientiam tolerare, & eligit durum, ut durius evadat.* Eadem illic pulchrè deducit de desiderio vitæ æternæ, ejusque vi ad impedienda peccata, & adversa alacriter toleranda. Quæ verba quibus oculis legerit P. Lupus, assequi nequeo, dum ea tamquam sibi faventia profert Epistolæ pag. 34.

139. Ex his patet malè rursus P. Lupum pag. 50. interpretari Hugonis verba petita ex quæstionibus in Epist. ad Rom. ubi cum Hugo in fine quæstionis 194. rursus definivisset timorem servilem, *qui prohibet manum à malo opere, retentâ malâ voluntate*; quæ juxta Hugonem supra, est definitio timoris, quo timetur pœna humana, non autem quo metuitur gehenna; subjicit Hugo, *de quo quæri potest* &c. Ubi contra claram Authoris mentem hanc parenthesin interserit P. Lupus: *de quo* (VTIQVE SERVILI GEHENNARVM METV) *quæri potest* &c. Ex his concludo Hugonem manifestè à nobis stare, cujus viri authoritas quanta fuerit

ta fuerit apud hujus Academiæ Doctores, colligitur ex Adriano, Quodlibeto 1. fol. 9. litt. H.

140. Secundò pag. 23. profert verba Roberti Pulli ex par: 5. cap. 31. *Pœnitentiam plerumque parit timor in illo, qui timet ardere, non peccare. Vir certè malus, quoniam vir bonus plus horret culpam quàm gehennam. Ille prævidens pœnam, reprimit culpam; si impunè liceret, repressam exerceret. Nec potest bonus esse, quisquis illicita vellet, si auderet. Quodam enim modo id voluntas affectat, quidquid solùm ex necessitate recusat. Nam, quod coactus facis, id te facere verum est, id te velle falsum est. Qui ergo ex timore pœnitet &c.* Quæ supra retulimus num. 103.

Respond: primò; verba intermedia, quæ omittit P. Lupus, dubium faciunt, de cujus pœnæ timore hic agat Pullus, an à Deo, an ab hominibus intentatæ. Nam post illa verba, *id te velle falsum est*; pergit Pullus: *voluntas nimirum universam supergressa violentiam jus propriæ libertatis intactum defendens, servitutem corporis grassatoris opponit injuriis.* Si enim de timore gehennæ, quam supra nominarat, toto hoc loco agit, non video, quid ad rem faciat servitus corporis & injuria grassatoris.

141. Resp. secundò; Pullum agere de eo, qui, licet timeat ardere, parvipendit tamen peccatum, seu habet hunc volumtatis actum; peccarem, si possem impunè: qui sine dubio vir malus est. Non dicit autem omnem illum, qui timet, sic debere esse affectum: præsertim cum, ut vidimus supra num. 105. asserat consideratione æternæ gloriæ, iter ad illam fieri leve & suave. Illud autem iter est observantia mandatorum & abstinentia à peccato. Denique parte 3. cap. 11. de timore gehennæ ita pronuntiat: *Timor ex Deo dictus est prodiisse. Sed quis timor? utique non ille, quem Dominus prohibet dicens;* NOLITE TIMERE EOS QVI OCCIDVNT CORPVS. *Num ergo ille, quem subdit dicens?* ILLVM AVTEM TIMETE, QVI CORPVS ET ANIMAM POTEST MITTERE IN GEHENNAM. *Qui procul dubio donum spiritus est; unde illud;* INITIVM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI: *& illud:* REPLEBIT EVM SPIRITVS TIMORIS DOMINI. Hæc certè dici nequeunt de hoc actu, peccarem nisi timerem infernum, ergo censet Pullus non omnem gehennæ timorem esse talem.

142. Rursus tertiò pag. 35, opponit P. Lupus Petrum Pictaviensem parte 3. cap. 18. ita loquentem: *Servilis timor facit hominem cessare à peccato, sed non ab omni peccato. Etsi enim cesset hic per timorem servilem à malo opere, non tamen à mala voluntate, quæ mortale peccatum est. Voluntatem enim habet peccandi, sed cessat tantùm propter pœnam.*

Resp. antequam hinc concludatur, contrarium nobis esse Petrum

Pictavien-

Pictaviensem, ostendi deberet, quòd per timorem servilem idem intelligat, quod nos: si enim intelligat vel timorem pœnæ, quæ metuitur ab homine, vel timorem quidem gehennæ, sed inefficacem, seu cui conjuncta sit hæc voluntas, mallem peccare nisi esset infernus, ne in minimo quidem nobis adversatur. Miror autem P. Lupum tum in Dissert. sua, tum in Epistola familiari adeo sæpe pro se adducere Petrum Pictaviensem, quasi alicujus momenti sit ejus authoritas, cum tamen ipse pag. 55. adductis hujus Authoris verbis, quibus asserit, Confessionem non esse nisi *Sacramentum veteris testamenti: non esse opus Dei, sed hominis: nec habere aliquam vim nisi ex charitate:* cum, inquam, de Petro Pictaviensi subjungat ibidem P. Lupus: *Circa prima Christianæ fidei fundamenta primi illi Scholastici fuerunt adeo fœdè hallucinati.* Unde licet hic Author sensisset timorem gehennæ non posse excludere omnem peccandi voluntatem, sed necessariò annexam habere concupiscentiam peccaminosam; quis non videt, eodem modo responderi posse, adeo fœdè hallucinatum in re tum ex ipso naturæ lumine, tum ex Patrum ac Doctorum & Fidelium consensu manifestâ?

143. Quartò: Repetit sæpe decantatum D. Augustini unum alterumve testimonium, ad quæ centies jam à diversis responsum est. Quid hoc est aliud, quàm eadem semper obtrudendo, videri velle semper bellare?

Denique pag. 32. exscribit locum Driedonis, quem adduxi in tractatu de Attritione cap. 11. §. 6. ostendique pro me facere. Ab utra parte stet Driedo, judicabit, qui illum sine assutis à P. Lupo explicationibus legerit.

CAPUT VIII.

Consequentias ex sua doctrina eductas firmat potiùs, quàm refutat P. Lupus.

TRia ex principiis P. Lupi necessariò consequentia deduxi in Tractatu de Attritione cap. 4. §. 1.

Primum est, quòd, qui mortaliter peccavit ante Baptismum, numquam; baptizatum verò qui peccavit, non nisi in rarissimo casu posse justificari sine novo peccato mortali.

Alterum, quòd peccator eliciens Attritionem fiat hypocrita in sensu à Luthero asserto.

Tertium,

Tertium, quod constituatur magis peccator. Hæc, & præcipuè primum, à se asserta dici, ægrè fert P. Lupus, vultque, ut præfert titulus, à se amoliri; quod tantum abest ut faciat, ut etiam ea magis confirmet.

§. I.

Primum consectaneum.

144. HOc proponit P. Lupus Epistolæ Famil. pag. 35. ubi ait affirmasse me, ex ipsius doctrinâ *legitimè sequi, quòd is, qui ante Baptismum mortaliter deliquit, numquam possit justificationem obtinere, nisi novum peccatum mortale committat: baptizatus verò, si peccet mortaliter, non nisi in rarissimo casu justificari possit, nisi novo mortali admisso..... Egregia profectò est scelerum pœnitentia, quæ non nisi cum novo scelere peragi potest.* Sic est, hæc dixi. Quid ad illa P. Lupus? *Ejusmodi,* inquit, *pœnitentiam esse monstrosam, & ipse profiteor. At ejus assertionem mihi imponi, est majus monstrum.* Non dixi id ab illo assertum, sed ex ejus doctrina consequens esse; utque tergiversationi locus non sit, pono hìc ordine propositiones ab ipso assertas, quibus admissis non potest illud non sequi.

145. Prima propositio: Timori servili annexa est servilitas, neque hæc ab illo separari potest, nisi per veram Dei super omnia dilectionem seu charitatem.

Secunda propositio: Servilitas illa est latens & secreta cupiditas.

Tertia propositio: Hæc latens seu secreta cupiditas est peccatum mortale.

Quarta: Omnis vera pœnitentia nondum baptizati semper debet inchoari à timore servili, qui postmodum per succedentem in ejus locum charitatem expellatur. Pœnitentia verò baptizati ab illo timore inchoari debet reguraliter.

Ex his legitimè sequi; *ergo non baptizatus numquam, baptizatus verò rarissimè justificari potest sine novo mortali:* nemo rectæ illationis gnarus negaverit. Quare dico cum S. Augustino lib. 2. contra Lit. Petiliani cap. 48. Si ista, quæ ex illis deducitur, *sententia vobis displicet, quoniam revera omnibus displicere debet, illa tollite unde nascitur, illa corrigite unde religatur: illa enim non præcedant, & ista non sequitur.*

Porrò P. Lupus in Epistola sua Familiari non tantùm nullam ex enumeratis propositionibus, in Dissertatione Dogmat. assertis, retractat, sed è contrario omnes magis confirmat, & dilucidiùs explicat.

146. Ac circa primam quidem propositionem quærit P. Lupus

Epistolæ pag. 45. ubi illam docuerit : *Dictam*, inquit, *servilitatem esse actum servili gehennarum metui* NECESSARIO CONIUNCTUM, *ego ubi dixi?* Id tradidisti non uno loco, nempe necessariò conjunctam illam esse metui servili, si desit charitas : ita loqueris in tua Dissertatione pag. 83. *Porrò voluntatem seu servilitatem istam excludi non posse, nisi per veram, affectu saltem super omnia, charitatem, etiam supra demonstratum est.* Idem tradis pag. 69. in fine & alibi. Exprimis id luculentiùs in Familiari tua Epistola pag. 40. ubi de timente gehennam, citra charitatem, pronuntias, quòd seipsum supra Deum diligat *per timori adhuc annexam, & A SOLA DEI CHARITATE SEPARANDAM servilitatem.* Imò tamquam punctum fidei id venditas ibid. pag. 36. *Quòd ab hoste hoc* (id est malâ cupiditate) *non nisi per diffusam à Spiritu Sancto actualem charitatem liberentur corda nostra, est unum ex immobilibus fidei Christianæ fundamentis.*

147. Propositionem secundam, quòd nempe illa servilitas, sit latens cupiditas, sive actus à voluntate elicitus, tradit constanter P. Lupus in sua Dissertatione pag. 61. 62. 71. & passim alibi, eam vocans fœdum animum, quo quis vult & optat &c. quo concupiscit latenter, à quo constituitur osor justitiæ & ipsius Dei, qui sit affectus distortus &c. Et ne dubio ulli possit esse relictus locus, clarissimè mentem suam expressit P. Lupus in Epistola Familiari pag. 32. in fine & 33. ubi asserit, per pravam cupiditatem intra cordis claustra latentem, & per odium justitiæ punientis, nullo pacto intelligi, *relictum ex priore patente voluntate vitium, maculam, aut reatum, sed cum Augustino stabilem distortæ mentis* AFFECTUM *ac præparationem à scholasticis jam pridem cœptam vocari voluntatem virtualem, quam esse* VERUM, *sed secretum, quia ab intellectus super ipsum reflexione separatum,* VOLUNTATIS MOTUM, *ideoque per ipsum, dum pravus est, hominem continuari, ac permanere* ACTU PECCATOREM *ex Augustino possit lucidè ostendi, & res ipsa clamat.* Habemus ergo P. Lupum apertè fatentem, quòd servilitas seu latens cupiditas timori necessariò conjuncta, non sit habitus ex peccato relictus, nec macula, aut reatus peccati ante commissi; sed quòd sit verus voluntatis motus, seu actus à voluntate elicitus, sed secretus adeò, ut intellectus illum non advertat.

148. Tertiam propositionem ; quòd latens illa cupiditas sit peccatum mortale, tradit in terminis P. Lupus in Dissertationis indice, verbo *Cupiditas*, & in textu pag. 72. ubi cum dixisset, ab ista latente cupiditate constitui hominem justitiæ osorem ac inimicum, subdit: *Qui fratrem suum odit, & ablatum velit, homicida est, reusque peccati mortalis: quantò magis tantus supremæ ac incommutabilis justitiæ, id est ipsius divinæ Majestatis adversarius*

adversarius & hostis. Ubi vides hanc servilitatem timori necessariò conjunctam, seu latentem illam cupiditatem, esse peccatum mortale, etiam ipso homicidio gravius juxta P. Lupum. Vide eumdē pag. 61. & 71. &c. & rursus in Epistola Famil. pag. 35. *Per charitatem non sanata servilitas proprium commodum diligit, ut finem ultimum; quod quis dubitet esse* MORTALE PECCATUM? Item pag. 64. generaliter asserit, omnem timore actum & agentem perseverare in mortaliter prava voluntate.

Quarta propositio ab eodem traditur in Dissertatione, præcipuè capite ultimo, & in Epistola Famil: pag. 13.

149. Ex his igitur à P. Lupo assertis sic formo argumentum: Omnis timor (dum abest charitas Dei propter se super omnia dilecti) habet necessariò sibi annexam servilitatem, seu latentem cupiditatem, quæ mortale peccatum est: atqui pœnitentia non baptizati, semper; baptizati verò, regulariter debet inchoari à timore, qui sit ante introductam charitatem, quandoquidem timor à charitate expelli debeat: Ergo pœnitentia nondum baptizati, numquam; baptizati verò, non nisi rarissimè esse potest sine novo peccato mortali. Quam consequentiam à me ex illius Dissertatione deductam, manifestiorem reddidit per ea quæ in Epistola Familiari scripsit: tantum abest, ut me in hoc puncto accusatoris partes egisse ostendat, aut accusationem (si ita vocanda est) diluat, quod tamen promittit in titulo.

150. At, inquit P. Lupus Epistolæ suæ pag. 35. *Aliud est, quempiam ad incussum gehennarum metum, & ex ipso solo de peccato formatum dolorem in peccati illius priore cupiditate persistere, aliud per ejusmodi dolorem & metum committi novum peccatum. Primum dixi &c.*

Ecce hîc P. Lupus, dum vult videri refutare, admittit quæ dixi omnia: neque enim in verbis, quæ supra ex me retulit, asserui, illud mortale, quod in justificatione impii necessariò intervenit, committi *per ejusmodi dolorem & metum:* sed simpliciter intuli, juxta P. Lupum justificari non posse peccatorem, nisi novum admittat mortale. Quod à se dictum fatetur P. Lupus, & ex ipsis verbis proximè relatis convinci potest.

151. Admittit enim *peccatorem ad incussum gehennæ metum, & ex ipso solo formatum de peccato dolorem in peccati illius priori cupiditate persistere.* Quæro, cujus peccati, aut potiùs cujus objecti cupiditate? sine dubio illius, circa quod antea peccando gratiâ excidit (neque enim arbitror dicturum, quòd, qui v.g. furto aut rapinâ peccavit, debeat ad incussum gehennæ metum velle fornicari aut mentiri &c.) ergo est cupiditas objecti sub mortali prohibiti, & per consequens & ipsa peccatum mor-

tale eſt. Ergo peccator, quando ex puro metu gehennæ peccatum deteſtatur, peccat mortaliter circa illud idem objectum, circa quod priùs peccaverat. Atqui pœnitentia nondum baptizati, ſemper; baptizati verò, regulariter inchoari debet à tali timore, quem poſtmodum ſuccedens charitas (quæ juxta P. Lupum eſt pœnitentia proximè ſufficiens) expellat: ergo non baptizati pœnitentia, numquam; baptizati verò, non niſi rariſſimè, obtineri poteſt ſine novo mortali. An ergo cuipiam videbor immeritò dixiſſe: egregia enimverò hæc eſt ſcelerum pœnitentia, quæ nonniſi cum novo ſcelere peragi poteſt? An aliquid P. Lupo impoſuiſſe?

152. Dicet fortaſſe P. Lupus per hoc tamen nondum haberi, quòd juſtificatio obtineri nequeat ſine novo mortali, ſed tantùm quòd peccator, dum timorem elicit (qui neceſſariò prævius eſt ad juſtificationem) maneat in priori iſta voluntate peccaminoſa, quæ proinde non ſit novum peccatum, ſed idem illud, quod ante commiſſum fuerat, & hucuſque ſine interruptione continuatum. Hunc ſenſum præferre videntur hæc illius verba: *in peccati iſtius priori cupiditate* perſiſtere: quod etiam indicat, dum ſæpiſſime repetit, à latente hac cupiditate cor non liberari, niſi per actualem Dei propter ſe ſuper omnia dilectionem.

153. Si hæc eſt mens P. Lupi, prout eſſe ſatis manifeſtè apparet, novum hîc habemus, & magis ſtupendum paradoxum: quòd nimirum is, qui in peccatum mortale lapſus eſt, illud ipſum continuet, donec poſtea juſtificationem aſſequatur, vel ſaltem ad eam impetrandam ſeſe diſponat per amorem Dei propter ſe & ſuper omnia dilecti. Per conſequens, quòd, qui ſemel turpiter concupivit non ſuam, & non niſi poſt menſes elicit amorem Dei propter ſe ſuper omnia, toto tempore intermedio perſiſtat actualiter in mortali concupiſcentia illius objecti. Quòd, qui die cinerum mortaliter peccat comeſtione carnium, & pœnitentiam differt uſque ad Paſcha, toto Quadrageſimæ tempore mortaliter delinquat concupiſcentiâ cibi prohibiti, & ſic de reliquis. Hæc quàm aliena ſint non tantùm à Theologorum, ſed & omnium fidelium ſenſu, & quàm gratis omnino excogitata, nemo non videt. Sanè ſi vera hæc eſſent, Confeſſarius illum, qui confitetur v.g. turpem concupiſcentiam, numquam deberet interrogare, quoties concupierit, ſed tantùm quamdiu poſt illam concupiſcentiam diſtulerit, Deum amore amicitiæ ſuper omnia amare. Inutilis etiam redderetur quæſtio de multiplicitate numerica peccatorum per actus interruptionem, niſi is interrumpatur amore Dei ſuper omnia: præſertim cum, juxta P. Lupum, frænata & laxata, ſeu latens & patens cupiditas ſint ferè ejuſdem fœditatis & noxæ.

154.

154. Concludo: Peccator, qui ex solo gehennæ timore cum spe veniæ peccata detestatur, juxta P. Lupum necessariò habet adjunctam cupiditatem mortaliter malam: vel igitur, toto tempore inter peccatum & timorem intermedio, eodem modo mortaliter concupiscebat; vel primùm cum timore interruptam priùs concupiscentiam resumit. Si posterius dicas, sequitur novum à peccatore committi peccatum, dum seriò pœnitentiam inchoat, videlicet à timore, à quo, in principiis P. Lupi, pœnitentiam non baptizati, semper; baptizati verò, ordinariè necesse est inchoari. Quòd si dixeris, toto tempore intermedio inter commissum peccatum & elicitam sufficientem pœnitentiam, necessariò persistere peccatorem in concupiscentia objecti, circa quod ante peccavit, quæ perseveret etiam tunc, quando ex timore gehennæ peccatum detestatur, veniam à Deo poscens & sperans: si, inquam, hoc dixeris, quamvis falsum sit, licet tamen verum esse admitteretur, nondum tamen enervaretur id, quod dixi de peccato novo; quia physicè & quoad rem ipsam loquendo, æquè peccat & quidem de novo, qui hoc instanti liberè concupiscit objectum sub mortali prohibitum, sive illud ipsum concupierit immediatè ante, sive non. Sic, qui immediatè ante concupivit conjugatam, si jam concupiscat non conjugatam, committit peccatum novum; ergo etiam si pergat in concupiscentia illius conjugatæ. Quidquid interim sit de eo, an in ordine ad confessionem instituendam, quando intervenit continuatio ejusdem peccati, censendum sit peccatum unicum an multiplex.

155. At, inquit P. Lupus Epistolæ pag. 33. *Nonne professi usurarii, meretrices, latrones, licet actu de professione non cogitent, ob paratam tamen in prava opera mentem, sordent in continua voluntate fœnerandi, scortandi, rapiendi..... ea mentis habitudo non est aliud, quàm voluntatis ab intellectus supra ipsum reflexione spoliatus motus: latet & quasi dormit, ideoque à quibusdam existimatur non esse actus.* Quæ res P. Lupo est adeo manifesta, ut addat: *Res ipsa clamat.*

156. Verùm non facilè tibi credent alii, voluntatem actu ferri in objectum, de quo intellectus ne cogitat quidem. Verùm cur dicis illos non cogitare actu? poteras enim eâdem operâ & verosimilitudinis specie dixisse, usurarium nullo non momento cogitare de usuris, & meretricem de actibus libidinosis; &, ne quoad hoc convincereris, addere poteras, quòd sit actus intellectus latens, ad quem illorum nemo reflectat, hoc enim dicendo coactus non fuisses statuere actum voluntatis circa objectum incognitum. Verùm si quis eodem, id est, nullo fundamento astruat, charitati quantumvis perfectæ individuam

comitem adhærere actualem ad prava concupiſcentiam, quâ, quæſo, ratione illum oppugnabis? Neque enim in experientia ſubſidium reperies; dicet enim eſſe actum adeo ſecretum ac latentem, ut nullus humanus intellectus quantumvis perſpicax ſuper illum poſſit reflectere. Si dixeris amorem Dei ratione ſui neceſſariò excludere omne peccatum, adeoque & illam concupiſcentiam mortaliter malam; id ſi neget, non aliâ ratione probabis, quàm quæ ſimul id convincat de timore gehennæ, de quo agitur. Si denique reſponderis, gratis & pro libitu fingi talem concupiſcentiam cum charitate ſtantem, idem reponet de concupiſcentia perſiſtente cum metu gehennæ. Similiter ſi quis dicat, eum, qui à peccato præterito jam juſtificatus eſt, eo ipſo quo actum charitatis juſtificativum intermittit, rurſus recidere in priſtinam illam actualem concupiſcentiam; quid, quæſo, illi oppones? Denique quid repones? ſi aliquis aſſerere voluerit, eum, qui mortale in quopiam genere, v.g. furti admiſerit, non tantùm in concupiſcentia rei alienæ perſiſtere, donec per penitentiam reſipiſcat, ſed & omnia omnino objecta ſub mortali prohibita concupiſcere, ſed per actus ſecretos adeò & latentes, ut intellectus non reflectat. Ecce quibus aſſertionibus concupiſcentia illa latens & ſecreta æquè patrocinari poſſit, quàm tuæ. Hæc autem omnia uno velut ictu reſecantur, dum dicitur gratis & omnino malè aſtrui adeſſe illos actus, quorum nec experientia, nec ratio ulla firma præbet indicium: imò quos non adeſſe ſolidiſſima ratio manifeſtat.

157. Recurres, ſat ſcio, ad Auguſtinum; eodem enim loco addis, id *ex laudato Auguſtino poſſe lucidè oſtendi*. Verum nullum ex illo hactenus teſtimonium protuliſti, in quo dicat Auguſtinus, hominem, qui peccavit, toto tempore, donec amorem Dei propter ſe ſuper omnia eliciat, idem peccatum actu continuare, aut timorem gehennæ efficacem non excludere omne omnino peccatum. E contra pro mea ſententia protuli ex S. Auguſtino, aliiſque Patribus clariſſima teſtimonia, & objecta diſſolvi: irrefragabili ratione convici, timorem gehennæ excludere poſſe quodcumque peccatum internum. Profectò nulli ſunt S. Auguſtino, ejuſque apud alios authoritati iniquiores, quàm qui conantur, illum facere manifeſtis, ac lumine naturæ notis veritatibus repugnantem, dum poſſunt earumdem veritatum majori fundamento facere patronum. Quòd ſi D. Auguſtinus, quod minimè fecit, tecum ſenſiſſet, uterer verbis ipſius Auguſtini, quibus reſpondet Juliano, ſui erroris patronum Chryſoſtomum appellanti, ſic Chryſoſtomum alloquens: *Si quod ipſe ſentis* (videlicet Julianus) *te ſentire claruiſſet, numquam te unum,*

te unum, pace tua dixerim, tot & talibus in ea causa præferre possemus.

158. Verùm & ad Apostolum Joannem provocat P. Lupus, quasi hic tradidisset, peccatorem donec Deum amet amore amicitiæ super omnia, assiduè persistere in prava circa idem objectum voluntate: *Dixi id,* inquit, *fretus authoritate S. Joannis Apostoli:* QVI NON DILIGIT, MANET IN *pravæ suæ cupiditatis, natique ex ipsa reatus* MORTE. Quàm perperam adducatur hoc testimonium, patet ex dictis supra cap. 4. §. 1. Ubi ostendimus hoc loco agi de charitate fraterna. Deinde, cui umquam Theologorum aut interpretum incidit, hîc à S. Joanne asseri, quòd, qui peccavit, persistat actualiter in eodem peccato, donec amorem Dei super omnia eliciat? Quo igitur Authore, aut fundamento hanc interjicit parenthesin, *in pravæ cupiditatis morte,* id est, in concupiscentia actuali? Denique si libebat aliquid interponere de tuo, pari fundamento poteras dixisse, manet in morte omnis pravæ cupiditatis, sic ut quovis momento circa objecta omnia prohibita actualiter peccet, donec amorem Dei eliciat. Poteras dixisse, quòd, qui venialiter peccavit, toto tempore illud continuet, donec Deum super omnia amet &c.

§. 2.

Secundum & tertium consectaneum.

QUinta, inquit P. Lupus pag. 36. accusatio est: *Ex eadem doctrina sequitur, peccatorem, dum Attritionem elicit, fieri hypocritam hoc sensu, quòd exteriùs à peccato abstineat, latente interiùs peccaminosa voluntate, adeoque quòd exterius facit, non faciat ex animo & sincero corde..... quòd constituatur hypocrita eo sensu, quo id passim asserit Lutherus.*

159. Ad quæ sic respondet ibidem P. Lupus: *Duo hîc convolvuntur. Primum est, quòd facta per solum servilem metum bona opera sint, non Christiana ex divinæ infusionis dono, sed judaica ex lege justitia: alterum, quòd talis justitia sit semper hypocrisis, faciatque hypocritam.* Addit autem infra non esse hypocrisim, quia non est *justitiæ histrionatus & simulandi studium.*

Responsio hæc nullo modo tangit punctum, de quo hic sermo est; neque in illatione à me factâ involvitur duplex ille sensus, quem, ut aliquid dicat, hîc comminiscitur P. Lupus. Nam, an talis Attritio sit Christiana justitia an judaica, hoc loco non tractamus: neque etiam assertum hîc à nobis est, quòd talis dolor faciat hypocritam hoc sensu, quòd interveniat *justitiæ histrionatus & simulandi studium,* sive sic, ut ab externo opere abstineatur animo alios fallendi, objectâ exteriore justitiâ.

justitiâ. Addidi quo sensu faciat hypocritam, hoc videlicet, *quòd exteriùs à peccato abstineat, latente interiùs peccaminosâ voluntate, adeoque quod exteriùs facit, non faciat ex animo & sincero corde:* id est, ut ibidem dixi, eo sensu faciat hypocritam, quo id passim asseruit Lutherus. Quæ consequentia ex propositionibus superiori §. relatis & stabilitis, adeo est manifesta, ut eam negare ausus non fuerit P. Lupus; contentus asseruisse, quòd non sit justitiæ histrionatus & simulandi studium, quæ ad hypocrisim requiri censet: de quo quidquid sit, mea non interest, sufficit esse hypocritam eo sensu, quo id asserui, & quo, fatente P. Lupo in Dissert. Dogmatica pag. 81. hypocrisim etiam Augustinus aliique intellexerunt, & quo sensu se hypocrisim sumere, passim inculcat Lutherus.

160. Quod addit P. Lupus ibidem, in hoc nec damnatum esse, nec damnari potuisse Lutherum; confidenter asserit, quod non probat. Constat damnatum Lutherum in eo, quòd diceret dolorem ex metu gehennæ elicitum facere hominem hypocritam: illud autem, facere hypocritam, explicuit Lutherus eo sensu, quòd nempe exteriùs à peccato abstineat, latente interim in animo prava cupiditate, ut ex ejus verbis relatis in priore tractatu num. 32. constat. Unde ergo probat P. Lupus, quòd in hoc damnatus non sit, imò nec damnari potuerit?

Ex his ulteriùs manifestum fit, rectè intulisse me; ergo juxta P. Lupum rectè & Catholicè quoad hoc sensit Lutherus, nec fuit censuræ obnoxius. Inferendum fuerat, inquit P. Lupus, ergo pravè sensit Lutherus, fuitque censuræ obnoxius. Verùm, licet libenter admittam, pravè illum sensisse, id tamen ex præmissis ibi positis inferre non potui, nec repugnat aliquid, quod revera falsum est & pravum, suppositâ tamen quorumdam principiorum veritate verum rectumque esse.

161. Sextam exponit accusationem in his à me dictis verbis contentam: *Ex iisdem principiis sequitur, quòd, qui atteritur constituatur magis peccator; addit enim veteribus peccatum novum, quod est simpliciter & propriè constitui magis peccatorem: & in hoc sensu passim loquitur Lutherus, dum dicit, fieri magis peccatorem.* Verùm in quo peccat hæc sequela?

Hanc accusationem sic diluit; Non constituitur magis peccator per Attritionem ex metu gehennæ seu per servilem metum, licet sub tali Attritione adhuc peccetur, seu perseveretur in priori mala voluntate, & post acceptum servilis timoris spiritum homo perseveret peccator, & osor justitiæ, non per ipsum timorem, sed per timore isto non evacuatam latentem peccandi voluntatem. Quia tamen à peccatis externis, & ab ipsorum patrandorum efficacibus imperiis libe-

liberatur per eumdem timorem, nequaquam major, sed longè minor per ipsum fit, & constituitur peccator. Ita P. Lupus pag. 37.

162. Resp. hoc rursus est extra chorum saltare; nam, an ipse timor peccatum sit, alibi egi, & id infra refutare conatur P. Lupus, sed nullo successu, ut ibi videbimus. Hoc loco non dixi aliud, quàm quòd is, qui atteritur, constituatur magis peccator, undecumque demum id proveniat. Quod cum ita esse fateatur P. Lupus, supervacaneum esset pluribus id prosequi: id egi in tractatu de Attritione, nec quidquam eorum, quæ illic à me dicta sunt, ab Adversario refutatur, aut convellitur. Neque (ut ibidem ostendi) quòd homo per timorem abstineat à peccatis externis, impedit, quominus is, qui timet gehennam, constituatur magis peccator, accedente nimirum ad priora novo illo peccato interno. Et ipse Lutherus, dum asseruit, timentem gehennas constitui magis peccatorem, recurrit ad latentem illam cupiditatem, fassus nihilominus per timorem cohiberi homines à peccatis externis.

163. Neque aliam producit solutionem P. Lupus ad eam, quam vocat accusationem septimam pag. 38. Protuleram in tract: de Attritione num. 62. verba S. Augustini; quòd per timorem contineat se homo à peccato, & rejecto Lutheri in dictum testimonium inepto additamento; *continet se à peccato, scilicet externo*: addideram, si sic intelligeret Augustinus, quomodò adderet per timorem fieri consuetudinem justitiæ, cum fiat consuetudo peccandi in sententia P. Lupi: & rursus infra dixeram, juxta illum timor servilis auget & roborat consuetudinem malorum operum in corde.

164. Ad hæc exclamat P. Lupus: *Servilis Attritio, si non nisi ejusmodi accusationum artibus possit fulciri, palam est eradicanda plantatio, quæ non est à Patre.* Quid autem hîc sibi imponi queratur, indicarat paulò ante, ubi ait: *Respondeo, aliud est internorum peccatorum consuetudinem per servilem gehennarum metum fieri, augeri, roborari; aliud ipsam cum & sub tali timore perseverare.* Et rursus infra asserit, se nec cogitasse, quòd peccata interna, ipsorumque consuetudo per ipsum timorem fiat, augeatur, roboretur. Ecce rursus totam solutionem, quòd id non fiat *per timorem*. Cæterùm non negat, quin consuetudo peccandi augeatur & roboretur, dum quis ex timore gehennæ peccata sua detestatur; modo non dicatur id fieri per timorem: Ad quod

Resp. 1. neque in prioribus verbis ex me relatis dictum est, quòd ea consuetudo fiat *per timorem*, ut patebit ea legenti.

Resp. 2 rectissimè dictum esse, augeri consuetudinem peccandi non tantùm ratione adjunctæ pravæ cupiditatis, sed etiam per ipsum timo-

rem: cum etiam asserat P. Lupus, timorem charitate destitutum esse mortaliter malum, ut ostendi in tract. de Attritione cap. 6. n. 108. & rursus clariùs ostendam infra cap. decimo.

CAPUT IX.

An Attritioni ex metu intrinsecum & essentiale sit, nasci ex amore sui-ipsius.

EPistolæ Familiaris pag. 39. & sequentibus fusè discurrit P. Lupus de bonitate timoris servilis, sæpius repetens, quòd sit bonus officio & substantiâ, ut nempe multitudine verborum ejus sententia maneat involuta.

165. Tum pag. 40. ita loquitur: *Errorem continent hæc accusatoris verba (nasci ex amore sui-ipsius essentiale est actui, de quo disputamus) utique servili gehennarum metui. Hæc item verba (ei ex suis intrinsecis convenit, quòd pro motivo habeat amorem sui, & non Dei propter se dilecti.)*

Quid hæc mea verba erroris contineant, demonstratum oportuit, neque enim lector intelligens credet id nudè affirmanti.

Actus, de quo disputamus, est detestatio peccati ex motivo metus: sic ut in hoc motivo voluntas ultimatè sistat, nec progrediatur ulteriùs ad nobilissimum motivum Dei propter se dilecti. Tali actui ex intrinsecis & specifica sua ratione competere, quòd nascatur ex amore sui, nemo dubitaverit; quin id fatentur Adversarii, identidem nobis objicientes, quòd ille actus sit amor sui-ipsius, quòd per illum homo seipsum amet & non Deum &c. Actus nostri speciem sortiuntur ab horum alterutro, nempe vel ab objectis præsertim formalibus, vel ex diverso in illa tendendi modo. Si speciem sumunt ab objectis formalibus, erit utique id illis intrinsecum & essentiale: neque enim quidquam adeo intrinsecum est actibus nostris vitalibus, quàm tendere, vel non tendere in hoc aut illud objectum formale. Cum ergo actus, de quo agitur, pro motivo formali ultimato & adæquato habeat seipsum & bonum suum; nasci ex amore sui-ipsius, non potest non esse intrinsecum & essentiale illi actui, & specificè distinctivum ab actu, qui pro motivo formali ultimato haberet bonitatem Dei propter se dilectam. Unde sicut nulla potentia efficere potest, ut actus, qui tendit ultimatè in Deum, idem manens in Deum non tendat; ita actus, qui in amore sui conquiescit, non potest idem manens in Dei bonitatem, tamquam motivum ultimatum, tendere. 166

166. Mirum proinde est, quod ait P. Lupus pag. 40. *eumdem numero timoris actum modò posse in proprio timentis commodo hærere & sisti, modò referri in Deum, ut finem principalem. Quòd natales mutare, & modo ex* IMPURO, *quo semetipsum in semetipso, modo ex casto, quo seipsum in Deo diligit homo, nasci possit successivè etiam numero eadem timoris substantia.* Quam doctrinam ait tradi à D. Thoma art. subsequenti, id est, 2. 2. quæst. 19. art. 6.

167. Verùm hoc longè magis mirum est, quòd pro hac sua sententia adferat dictam D. Thomæ quæstionem, cum ibi art. 5. omnia contraria disertè doceat. Titulus art. 5. est: *Utrum timor servilis sit* IDEM IN SUBSTANTIA *cum timore filiali?* In cujus quæstionis resolutione ita loquitur S. Doctor. *Cum timor servilis pœnæ refugiat malum, filialis verò culpam, necessariò specie distinguuntur filialis ac servilis timor.* Tum pergit in corpore: *Respondeo dicendum, quòd proprium objectum timoris est malum: & quia actus & habitus distinguuntur secundum objecta, necesse est, quòd secundum diversitatem malorum, & timores specie differant. Differt autem specie malum pœnæ, quod refugit timor servilis, & malum culpæ, quod refugit timor filialis. Unde* MANIFESTUM EST, QUOD TIMOR SERVILIS ET FILIALIS NON SINT IDEM SECUNDUM SUBSTANTIAM, SED DIFFERUNT SPECIE. Et ad primum argumentum in contrarium, quod erat hujusmodi: *Ita videtur se habere timor filialis ad servilem, sicut fides formata ad informem; quorum unum est cum peccato mortali, aliud verò non. Sed eadem secundum substantiam est fides formata & informis: ergo & idem est secundum substantiam timor servilis & filialis.* Ad hoc, inquam, argumentum sic respondet D. Thomas: *Ad primum dicendum, quòd fides formata & informis non differunt secundum* OBIECTUM: *sed differunt solùm per aliquid* EXTRINSECUM, *scilicet secundùm præsentiam & absentiam charitatis: & ideo non differunt secundùm substantiam; & ideo non est similis ratio.* Ergo juxta D. Thomam idcirco fides formata & informis non differunt in substantia, quia tantùm differunt penes aliquid extrinsecum, nempe præsentiam vel absentiam gratiæ sanctificantis; non est autem similis ratio de timore servili & filiali, quia nimirum hi timores differunt per aliquid intrinsecum, nempe secundùm objectum, à quo actus specificatur; fatetur igitur timori servili intrinsecum & essentiale seu specificum esse, quòd feratur in tale suum objectum, sive, quòd sit amor sui. Non magis autem potest idem numero actus vitalis modò esse hujus speciei, modò alterius, quàm possit idem numero actus esse modò amor Dei, modò odium ejusdem. Neque D. Thomas ejusdem quæst. artic. 4. aut 6. vel verbum facit, quòd idem numero actus possit esse modò timor servilis, modò filialis.

168. Quod autem art. 6. in corpore, ait; timorem servilem secundùm suam substantiam manere posse cum charitate: nullo modo per hoc indicat, posse eumdem numero timoris actum modò esse servilem, modò filialem (quod expressè negaverat art. præcedenti) sed tantùm quòd timor pœnæ in genere consideratus, id est, ratione unius è speciebus sub genere timoris comprehensis, possit stare cum charitate, cum qua servilis timor specificè consideratus nequeat consistere: prout ipsemet hoc loco sese explicat, & nos ex professo tractabimus infra. Eodem modo dum art. 4. ait accidere timori, quòd bonum, cui contrariatur pœna, ametur tamquam finis ultimus, vel quòd ordinetur ad Deum, non vult eumdem numero actum modò posse esse servilem, modò filialem; sed tantùm quòd timori abstractim seu genericè considerato accidat esse servilem vel filialem; quia nempe censet dari posse timorem pœnæ etiam absque charitate, qui tamen servilis non sit, ut fusiùs dicetur infra. Sic dici potest animali accidere, quòd sit rationale vel irrationale, adeoque homo vel brutum; & hoc indicat D. Thomas eodem art. 4. ad 3. dicens: *Timor servilis secundùm suam substantiam non importat nisi timorem pœnæ; sive timeatur, ut principale malum; sive non timeatur, ut principale malum.*

Ea, quæ P. Lupus hîc adfert ex Hugone à S. Victore, refutata sunt supra, ubi mentem illius pluribus exhibuimus: quæ verò ibidem ex Augustino producit, spectant ad caput sequens.

CAPUT X.

An servilem gehennarum metum damnaverit peccati P. Lupus.

169. QUeritur P. Lupus in Epistola Familiari pag. 44. quòd per fas & nefas voluerim, servilem gehennæ metum ab ipso fuisse peccati damnatum: hoc autem ut ostendat per nefas factum, recurrit ad consuetam illam Jansenii, & frivolam distinctionem; quòd nempe sit vitium timentis; non autem ipsius timoris; quam distinctioné, quia à pluribus solidè convicta est, hîc non refuto; contentus breviter ostendere, justissimè à me fuisse dictum quòd timorem gehennæ, conceptumque ex illo motivo peccati dolorem, ipse malum ac peccaminosum pronuntiarit, nisi simul adsit charitas Dei propter se.

170. Actus de cujus bonitate ac malitia inter nos disputamus, est is, quo propter spem gloriæ cælestis, aut ex metu gehennæ homo peccata detestatur, sic ut desiderium gloriæ, aut pœnæ timor, sit illius detestationis motivum formale ultimatum & adæquatum, qui actus sistit in amore sui-ipsius. De tali actu pronuntiat P. Lupus in sua Dissertatione pag. 20. IMPVRISSIMAM AVARITIAM ET CONCVPISCENTIAM *esse istiusmodi dilectionem..... Si propter illa, quæ præstat, Deus amatur, non utique gratis amatur, quia jam illud, propter quod diligitur, ei, quod* DICTV *quoque* NEFAS *est, anteferetur.* Et pag. 71. *Gehennæ metus ex proprio sui-ipsius amore nascitur, adeoque qui ob illam solam, & non Christum Dominum, à gravi peccato abstinet, non solummodo plus illam timet, sed & se-ipsum supra Dominum diligit, quod est etiam* COGITATV HORRENDVM. Denique pag. 68. de timore ait: *Oritur non ex casto Dei, sed ex mercenario amore sui-ipsius, quo homo sibi bene vult esse, non solùm in hac vita, sed etiam in futura: porrò sui-ipsius amorem, quo homo non in Deo, sed in seipso seipsum diligit, esse* FONTEM IMPVRVM, & OMNIS DISTORTI AFFECTVS PRIMAM RADICEM, *est unum è fundamentis doctrinæ Catholicæ & Augustinianæ.* Atqui actui, de quo disputamus, formalissimè competit esse amorem sui subjecti; id enim fatemur tam nos, quàm adversarii; ergo ille actus secundùm se formaliter, & seclusâ etiam illâ internâ concupiscentiâ, quam necessariò timori annexam vult adversarius, est *turpissima avaritia, & concupiscentia*, est *dictu nefas & cogitatu horrendum*, habet motivum, seu *fontem impurum & omnis distorti affectus radicem.* Hæc autem omnia dici non possunt, nisi de actu malo & quidem graviter, neque poterat clarioribus verbis illius malitiam exprimere; quare malè queritur, id sibi per nefas imponi.

171. Et, quod mirum magis est, in ipsa Epistola Familiari, longè clariùs mentem suam exponit de illius actus malitia; sic enim loquitur pag. 43. circa finem. *Suam Attritionem Accusator vult ex casta Dei dilectione non procedere.* Ita est, sic sentio cum Tridentino & Doctoribus passim omnibus. Hinc infert ibidem P. Lupus; *ergo juxta inconcussa S. Augustini dogmata*, PECCATVR *in tali Attritione, & cum suo, ex quo oritur, proprio hominis in semetipso amore in unum conflata opus est* OMNINO PECCATVM. Attritio autem ex timore gehennæ, est actus ortus ex amore sui, & ex illo tamquam motivo formali, adeoque præcipuo objecto conflatus, ergo juxta illum talis actus est *omnino peccatum.* Ecce manifestè peccati damnat actum, quo quis detestatur peccata commissa, & proponit in posterum non peccare, idque ex motivo, vel gloriæ adipiscendæ, vel evadendi gehennam; sic ut in illo motivo sistatur, nec progressus fiat ad motivum Dei propter se dilecti. Profectò debuerat P. Lupus vel non

conquestus fuisse, id sibi imponi, vel id retractare, aut ostendere, procul esse à suo sensu, & non illud ipsum clariùs admittere. Pergit ibidem hanc doctrinam magis inculcare: *Ex laudatâ*, inquit, *istic & frequenter per eundem Augustinum inculcatâ Apostoli regulâ; quidquid non est ex fide, quâ non tantùm Deo, sed & in Deum credimus* (id est juxta P. Lupum, quidquid non est ex motivo amoris Dei propter se super omnia dilecti) PECCATUM EST. *Quòd ad Dei charitatem nondum elevatus homo seipsum in seipso, & proprium commodum tanquam finem ultimum diligat, & gehennam timeat uti malum principale, ideoque &* MORTALITER PECCET, *supra audivimus à D. Thoma. Hinc non vera disserri cordis conversio, sed merus dumtaxat conversionis fucus est ista Attritio servilis.* Et rursùs eâdem pag. 43. *In omni officio, & omni prorsus opere, quod non fit intentione bonæ fidei, hoc est, ejus, quæ per dilectionem operatur* (Id est juxta P. Lupum, in omni opere, quod non fit ex motivo amoris Dei super omnia dilecti) *peccari ob legitimi finis defectum, & integrum ejusmodi opus esse tenebrosum, imo plenum* NIGREDINE PECCATORVM, *docet illic lucidissimè, & multis adversùm alia Pelagianorum somnia S. Augustinus confirmat.* Et rursus ibidem: *Hinc ergo & servilis gehennarum metus, si eum impuro suo proprii amoris fonte componas in unum opus* (id est, si eum consideres prout in se à parte rei existit absque abstractione metaphysica) *tenebrosus est, atque* PECCATVM.

172 Ecce, si P. Lupo credimus, detestatio peccati commissi, & propositum non peccandi in posterum concepta ex metu gehennæ, ibi sistendo, peccatum est, & quidem mortale. Imò & ipse actus spei, si hæreat in proprio suo objecto tam materiali quàm formali, peccatum mortale est. Ecce juxta illum, tantos Patronos, nempe S. Augustinum & D. Thomam, habuit Lutherus, dum identidem declamavit, per Attritionem ex metu gehennæ conceptam hominem constitui magis peccatorem. Hinc admittere jam cogitur P. Lupus, eum, qui atteritur, constitui magis peccatorem, augeri, & roborari consuetudinem peccatorum &c. Cur ergo supra ægrè tulit à me dictum esse, quòd juxta ipsum *per timorem* augeatur consuetudo peccandi? Cur, si ita est, hic queritur sibi falsò, & per nefas imponi hanc assertionem: *Quod timor gehennæ malus sit?*

173. Hoc mirabuntur multi, similia dogmata per nefas imponi Sanctis Doctoribus Augustino & Thomæ Aquinati, & hujus quidem mentem explicabimus infra. Loco verò D. Augustini desumpto ex lib. 4. contra Julianum cap. 3. sub finem, quia explicatus est à Ripalda, Moraines & Authoribus passim omnibus, hic non immoror: vide Latomum artic. 5. pag. 42. & 43. ubi adfert, & refutat hunc

Lutheri

Lutheri errorem, *Quòd animæ in purgatorio sine intermissione peccent, in eo quòd horrent pœnas, & quærunt requiem ..... Donec posito timore incipiant amare voluntatem Dei in tali pœna: & plus Dei voluntatem amet, quàm pœnam timeat &c.* Asserit itidem Latomus, si Lutherus in Christum oculos direxisset, *vidisset etiam amorem quietis & fugam molestiæ non esse peccatum.* Ac denique locum Augustini dicentis, malum esse frui creaturis sine amore Dei, explicat, quando creaturæ exhibetur summus amor, quæ tamen non est summè diligenda. Neque testimonium Augustini ullam habet difficultatem, nisi apud eos, qui volunt charitatem seu dilectionem nihil aliud significare, quàm amorem Dei propter se super omnia; oppositum autem manifestè evincunt, tum ea, quæ dixi supra n. 64. tum in tract: de Attritione cap. 2. circa finem & cap. 5. §. 4. ubi respondi ad testimonia S. Augustini: & passim alibi.

174. Quæro jam à P. Lupo, qua ratione conciliaturus sit has duas suas assertiones, quarum prima est; quòd timere gehennam sine actu charitatis peccatum sit, prout manifestè asserit in verbis paulò ante relatis; ex quo sequitur, quòd per ipsum talem metum homo constituatur magis peccator. Altera, quòd propter hoc ipsum dogma meritò damnatus sit Lutherus. Hanc enim tradit Epistolæ suæ pag. 37. his verbis: *Aliud est per servilem Attritionem, aut per servilem pœnitentiæ inchoativum metum peccari, aut hominem constitui peccatorem, & priorem justitiæ; aliud sub tali, aut post talem Attritionem, & metum adhuc peccari, seu perseverari in priori quapiam mala voluntate .... summum inter hæc duo est chaos firmatum. Primum, ex quo hominem per servilem metum fieri magis peccatorem sequitur, blateravit Lutherus, ideoque meritò est damnatus Tridenti.* Damnatus ergo te Judice est Lutherus in Synodo Tridentina, quòd assereret, per servilem Attritionem, seu per servilem metum peccari; atqui illi propositioni identica est hæc: Attritio servilis, seu servilis metus est peccatum; idque, ut contendis, docuit S. Augustinus & D. Thomas. Vide jam, quid inde consequens sit.

175. Cum autem P. Lupus pronuntiet actum, de quo disputamus peccatum esse, nihil ipsum juvat, quòd fateatur esse bonum, at solo officio & substantiâ, non autem fine aut radice: nam hoc ipso indicat non esse absolutè loquendo bonum; bonum enim est ex integra causâ, malum ex quovis defectu; sive, ut ipsemet de hac re agens loquitur Epi. Famil. pag. 43. *Composita sequuntur causam suam, seu partem debiliorem.* Porrò quid sit esse bonum officio, explicat ibidem P. Lupus: *Servilis gehennarum metus, si cum impuro suo proprii amoris fonte componas in opus unum, tenebrosus est, atque peccatum; si* ABSTRACTIM *ipsum in seipso solum consideres,*

lucidum est officium, actusque rectus, utilis, bonus. Ergo timor servilis, si consideretur prout est à parte rei, seu secundùm objectum tam materiale quàm formale, juxta Adversarium tenebrosus est, & peccatum. Si verò abstrahas per mentem à fine seu objecto formali, id est, si abstrahas ab eo, an sit servilis, bonum est officium & bonus actus. Hoc autem aliud non est, quàm chymericam bonitatem huic actui specificè spectato tribuere, quam in quovis ferè peccato erit reperire: nempe quòd si actum in se malum, per intellectum abstractivè considerem, abstrahendo nimirùm ab eo, quod actum specificat, seu malitiam ei communicat, ut si odium Dei abstractivè concipiam, quà odium.

176. Porrò quò hæc adferat P. Lupus, aut quid sibi ex abstractiva illa consideratione subsidii speret, non video. Damnatum esse fatetur Lutherum, quòd dixerit, per servilem Attritionem, seu per servilem metum peccari: malitiam autem hanc petebat Lutherus tum ex latente concupiscentia, tum ex hoc, quòd ei actui deesset charitas; an autem servilis metus sub consideratione illa abstractiva peccaminosus sit nec ne, nec inquisivit, nec determinavit Lutherus; neque, licet de illo actu abstractim considerato aliquid in alterutram partem asseruisset, curæ fuisset Patribus Sacrosanctæ Synodi circa abstractionem aliquam metaphysicam damnare hominem, qui in pluribus tam palpabiliter, & tam grossè, ut loquitur Adversarius, erravit: & sanè cui bono definire, an metus pœnæ abstractim consideratus bonus sit malusve, uti & de quibusvis circa alia peccata abstractionibus; modo constet eos actus physicè & secundùm se spectatos malos esse, quo modo consideratum metum gehennæ malum esse pronuntiat P. Lupus. Hoc ergo & nihil aliud in Luthero damnavit Synodus, quàm quòd assereret Lutherus, timorem servilem gehennæ absente charitate malum esse & peccaminosum.

CAPUT XI.

An P. Lupus rectè explicuerit locum Tridentini de Attritione.

177. HUnc Tridentinæ Synodi locum ex sess. 14. c. 4. *illam vero contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur* &c. explicarat P. Lupus in sua Dissertatione Dogma-

Dogmatica cap. 15. in fine, & cap. 16. non de actu illo, qui pro motivo detestationis peccatorum habet metum gehennæ, sed de actu planè diverso, qui priori succedat, & cujus motivum formale sit Dei bonitas propter se super omnia dilecta; huncque amoris actum vult esse illum, quem Synodus vocat Contritionem imperfectam, seu Attritionem conceptam ex metu tamquam termino conversionis à quo: omniaque, quæ Tridentinum illic pronuntiat de Contritionis imperfectæ bonitate, supernaturalitate &c. vult attribui debere illi actui amoris Dei super omnia, non autem detestationi peccatorum conceptæ ex motivo metus in eo sistendo.

Hanc verborum Tridentini explicationem dixi esse novam, neminemque à me repertum, qui eam saltem expressè tradiderit, & multis rationibus cap. 8. §. 2. adductis clarè demonstravi, hanc explanationem planè alienam esse à mente & verbis Tridentini. Attuli num. 121. Sylvium dicentem, quòd timor servilis bonus sit, & ad salutem perutilis, fide certum esse, definitum in Tridentino; quod ipsum ex Synodo colligunt omnes scriptores.

178. Verùm quod in reliquis solet, ita quoque hic, ne factâ quidem mentione rationum à me adductarum (tantùm abest ut eas dissolvat) sic loquitur Epistolæ pag. 45. *Hanc doctrinam Accusator affirmat novam, gratis excogitatam ad evadendam vim Concilii, & à nemine hucusque clarè traditam.* Hoc autem refutare aggressus ibidem P. Lupus, nihil omninò adfert, quod ad propositum faciat, aut vel in minimo convellat id, in quo me queritur partes accusatoris egisse.

Sic enim ibi respondet: *eam* (id est explicationem verborum Tridentini, de qua est sermo) *clarè exprimi à Senonensi, Fisschero, aliisque*, quos non uno loco, aut verbis illic enumerat. Nonne hic rectè uterer verbis statim ex ipso referendis: *risu* hoc, *imò miseratione dignum est.*

179. Quæstio inter nos est, an verborum Tridentini explanatio à P. Lupo tradita, nova sit, gratis excogitata, & à nemine hactenus tradita; ego affirmavi esse talem; negat Adversarius, idque ut probet, profert Synodum Senonensem celebratam dudum ante Tridentinum; Fisscherum, qui decem annis antea gloriosè occubuit; item articulos hujus Facultatis Synodo anteriores; alios denique authores, qui ante Tridentini tempora, vel saltem ante celebratam hanc sessionem 14. jam sua scripta ediderant. An fortè illi omnes spiritu prophetico prævide rant, quibus verbis Catholicam de Attritione doctrinam postmodum conceptura esset Synodus Tridentina, ut jam tunc verba futura explicarent?

carent? Quis non videat, proferendos fuisse Authores Synodo posteriores, qui in hoc sensu verba Synodi acciperent: verùm cum hos reperire non posset, ne nihil agere videretur, eos obtrusit, ex quibus verborum Tridentini explicationem peti posse, nemo censuerit.

180. Præterea illa ipsa, quæ adfert ex antiquioribus Tridentino, nihil omnino serviunt illius scopo. Damnavit, inquit, Senonense hunc Martini Lutheri articulum: *Non licet inducere homines ad pœnitentiam per timorem gehennæ.* Hunc articulum damnant omnes nostræ sententiæ Authores, negant nihilominus Synodum Tridentinam in verbis supra relatis ex sess. 14, cap. 4. loqui de actu amoris Dei propter se. Quid igitur ex Concilio Senonensi petitur subsidii pro illa explicatione gratis excogitatâ?

At, inquies, juxta Senonense, licet inducere homines ad pœnitentiam per timorem gehennæ: ergo timor gehennæ non est pœnitentia.

Ad hæc Concilii Senonensis verba responsum est à me supra num. 82. ostensumque, quo sensu timor gehennæ non sit pœnitentia.

181. Hîc addò, licet Senonense dicto loco per timorem gehennæ intelligeret, non ignavum illum & hebetem timorem, quo homo non sinit se trahi, ad confugiendum ad Dei misericordiam, ad detestanda præterita, & ad propositum in posterum, qualis esse potest etiam in eo, qui actu peccat, de quo in tract. de Attritione n. 92. licet, inquam, per timorem gehennæ non intelligeret nudum illum timorem, sed comprehenderet sub timore ea omnia, quæ nos ad Attritionem requirimus, nihil adhuc nobis adversaretur definitio dicti Concilii Senonensis. Nam Lutherus non solùm asserebat, Attritionem ex metu gehennæ non sufficere cum Sacramento, adeoque requiri detestationem peccati ex amore Dei seu justitiæ: sed insuper, cum timorem pœnæ contenderet esse malum & peccaminosum, negabat licitum esse, inducere homines ad pœnitentiam illam amore formatam (quam solam volebat esse bonam) per timorem gehennæ. Hæc duo asserta diversissima sunt, & secundùm prorsus independens à veritate prioris: nam sive Attritio ex metu gehennæ supponatur esse dispositio sufficiens ad justificationem cum Sacramento, sive non: falsissimum nihilominus est, non licere homines inducere ad pœnitentiam per timorem gehennæ, aut hunc timorem peccaminosum esse. Unde Catholici, qui olim negarunt (ut supra vidimus cap. 5) vel qui etiam nunc negant, Attritionem ex metu sufficere cum Sacramento, asserunt nihilominus timorem bonum esse, rectè illum peccatoribus incuti, & sic induci ad pœni-

pœnitentiam. Unde ex eo, quod dicat Senonense, licitum esse inducere homines ad pœnitentiam per timorem gehennæ, perperam infertur: ergo timor gehennæ, seu, Attritio ex metu illius concepta non sufficit cum Sacramento, seu non est pœnitentia; cum abstrahendo ab eo, an sit pœnitentia, an sufficiens, nec ne, manifestè erronea & damnabilis sit hæc assertio: timor gehennæ malus est, aut illicitum est, inducere homines ad pœnitentiam per timorem gehennæ. Denique cum, ut dixi supra num. 119. dolor peccatorum ex metu conceptus sit simul via seu gradus ad pœnitentiam ulteriorem, nempe ad Contritionem procedentem ex amore Dei; rectissimè simul starent hæ duæ definitiones in terminis: *Licet inducere homines ad pœnitentiam per timorem gehennæ seu per Attritionem*: & hæc altera: *Attritio sufficit cum Sacramento, estque ipsa etiam propriè dicta pœnitentia.* Imò per primam definitionem sterneretur veluti via ad secundam. Quâ igitur inferendi formâ, ex eo quòd definiat Senonense, licere homines ad pœnitentiam inducere per metum gehennæ, inferri poterit? ergo metus gehennæ seu Attritio non sufficit cum Sacramento, vel, non est vera pœnitentia ex mente illius Concilii.

182. In ejusdem sui dicti confirmationem adducit art. 4. hujus facultatis; sed nec hic ipsi ullo modo favet, ut ostendi in tract. de Attrit. cap. 11. §. 1. Alios plures ibi citat; sed, cum eorum verba non referat, nec locum indicet, ubi id tradant, signum est ei minùs favere, quàm faveat decisio petita ex Concilio Senonensi.

Denique pag. 46. recurrit ad ipsa Tridentini verba, in quibus clarè exprimi asserit suam hanc sententiam, quòd nempe detestatio peccati ex metu gehennæ tantùm sit via ad alium actum ex motivo Dei super omnia dilecti conceptum, qui à Synodo asseratur esse Attritio, & sufficiens dispositio, ad percipiendam in Pœnitentiæ Sacramento justificationem.

183. Verùm, si ita clarè illic exprimatur sententia P. Lupi, cur ante ipsum nemo verba Tridentini hoc sensu intellexit? Cur omnes explicarunt de actu, cujus motivum ultimatum & adæquatum est timor gehennæ? vel si quos habebat, qui in ea explicatione facem ei prætulerunt, cur saltem unum aliquem ex illis non adduxit; ut ostenderet novam eam non esse, nec gratis excogitatam, quod hoc §. susceperat ostendendum? Profectò nova adeo; & contra communem Authorum intellectum, verborum Tridentini explicatio, non erat obtrudenda, nisi rationibus aut authoritate probè firmaretur, dissolverenturque ea omnia, quæ attuli in tract. de Attrit. cap. 8. §. 2. quæ

manifestè ostendunt, non posse in sensu Adversarii explicari verba Tridentinæ Synodi.

184. Addo hic authorem domesticum Libertum Fromondum, qui ad illa Apostoli verba: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore*, cum dixisset timorem pœnarum esse honestum, & bonum, quando non adest simul hic actus; vellem peccare si non esset pœna; subjungit à Tridentino definiti sess. 14. cap. 4. Attritionem à tali metu ortam, esse donum Dei, & Spiritus S. impulsum, ac proinde intelligit Tridentinum juxta communem explicationem contra P. Lupum. Quo modo etiam intellexerunt alii tui in hac Academiâ prædecessores.

CAPUT XII.

De supernaturalitate Attritionis.

ATtritionem, quæ pro motivo habet aut adeptionem gloriæ cælestis, aut evasionem gehennæ, esse actum supernaturalem, seu salutariter bonum ac meritorium, probatum à me fuit in Tract: de Attrit: cap. 7. allatis plurium Patrum testimoniis, ac communi Doctorum consensu, eorum etiam, qui Luthero restiterunt, nempe Roffensis & Eckii. Ostendi Lutherum & Jansenium illius actus supernaturalitatem similiter negasse.

185. Ad hæc P. Lupus Epist. Famil. pag. 47. *Risu*, inquit, *imò miseratione dignum est, quòd me, ubi servilem gehennarum metum esse quidem à Deo incussum metum, non tamen supernaturale, ac infusum gratiæ donum scripsi, Accusator dicat esse Jansenistam ac Lutheranum.* Verùm nusquam dixi, ipsum esse Jansenistam aut Lutheranum, solùm exhibui Jansenii ac Lutheri verba, ex quibus ostendatur idem cum his sensisse Quod ipsum in sua Epistolâ admittit P. Lupus, laudans in hac parte sententiam Hæreticorum, de quibus ita loquitur pag. 13. *Solum gehennarum servilem metum aut ex ipso solo natum de peccatis dolorem rectè addunt* (id est hæretici) *motum esse salutariter non bonum:* seu non esse supernaturalem. Quid igitur risu vel commiseratione dignum est, quòd illis, quorum sententiam hîc tamquam rectam & sanam approbas, dixerim te consensisse?

Pergit eâdem pag. 47. *Quòd servilis gehennarum metus sit judaica ex lege, non Christiana ex divinæ infusionis dono justitia, est Christiani dogmatis fundamentum adeò immobile, ut nullus orthodoxus unquam hac legatur de ipso vel dubitasse.* Addit solum actum, qui habet admixtum motivum amoris, *esse germanum*

manum divinæ per JESUM Christum gratiæ donum, semper Ecclesia sensit.

186. Mirabuntur summopere omnes, potuisse hæc tam confidenter à P. Lupo asseri. Attritionem ex spe prœmii cælestis, aut metu gehennæ absque amore Dei propter se super omnia dilecti, esse actum supernaturalem, seu ex gratia, asserunt quotquot post Tridentinum scripserunt Orthodoxi Authores, si P. Lupum cum paucissimis excipias; id etiam tradidit Estius, estque communis Ecclesiæ sensus: id contra Lutherum urserunt Roffensis & Eckius: *Ab initio* (inquit Eckius) *restitimus hæreticis & dicimus, quia timor etiam servilis sit donum Spiritus sancti ... fallitur Ludder, quod nesciat varias Spiritus S. gratias distinguere .... sed non quæcumque motio paterna est per amorem justitiæ.* Et alia quæ tract: de Attrit cap. 7. retuli: id manifestè tradunt Patres ibidem adducti, & id ipsum definivit Tridentinum, idque tam manifestè, ut vix reperire sit, qui de hoc dubitet. Quare non video, quâ veritatis specie dicere potuerit P. Lupus, neminem orthodoxum hactenus dubitasse, quin dolor de peccatis ex metu gehennæ conceptus, sit actus non supernaturalis, & semper sensisse Ecclesiam quòd ille actus non sit ex gratia.

187. Denique eodem Epistolæ loco addit Adversarius: *Verum hæc omnia parerga sunt, & quæsita à principalis quæstionis examine diverticula.* Si ita est; cur ad illa in tua de Attritione dissertatione confugisti; uti & illi, qui tibi in hac sententia præluxerunt? certè illa à vobis adducta me refellere, non fuit diverticula quærere, sed vestra premere vestigia. Cæterùm cum non possit Attritio ex metu esse dispositio ad gratiam in Sacramento percipiendam, nisi supernaturalis sit, seu ex gratia; nemo hujus controversiæ, vel mediocriter gnarus censebit, extra rem esse, de Attritionis supernaturalitate inquirere; nisi dicendum sit ipsam Synodum Tridentinam parerga, ac diverticula quæsivisse, dum sess. 14. cap. 4. antequam statuat, Attritionem ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere, priùs definit dictam Attritionem, *Donum Dei esse & Spiritus S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.*

CAPUT XIII.

De consequentia deducta ex definitione Contritionis à P. Lupo tradita.

188. EXposueram in tract. de Attrit. cap. 12. Sententiam P. Lupi de Contritione, per se & independenter ab actuali Sacramento justificante, eamque in summam redigens, & inde inferens, dixeram num. 300. *Sensus P. Lupi est, quòd peccator quomodocumque demum ex amore Dei, & quantumcumque de peccatis doleat, non possit tamen sine actualis Sacramenti consortio justificari, si erga rem quampiam creatam sic afficiatur, ut illam cum aliquo doloris sensu amitteret, vel non consequeretur. Hinc si conjux morti vicinus optet, vitam sibi à Deo prolongari, quò res familiæ suæ componat, quò uxori & liberis subveniat, quibus videt alioqui defore victui necessaria &c. ac nihilominus mortem juxta Dei beneplacitum paratus sit acceptare, cum aliquo tamen dolore & gemitu; non poterit talis eluere Contritionem, quæ impetrandæ justificationi per se sufficiens sit: ac proinde si sit in mortali, ac desit copia Confessarii, actum est de æterna illius salute.*

189. In toto hoc discursu nihil omnino displicet P. Lupo, nisi postremum illud, quòd nempe eo casu actum sit de talis conjugis salute; huic autem ut consulat, asserit Contritionem imperfectam ex Charitate Dei elicitam (id est, juxta ipsum, quam Tridentina Synodus Attritionem vocat) licet aliàs sine Sacramento actuali non sufficiat ad justificationem, in mortis tamen articulo sine illo justificare. Verba illius sunt Epistolæ pag. 48. *Verùm imperfectam Charitatem, & Contritionem ubi ego dixi in mortis exitu sine actuali Sacramento non justificare? non solùm robustam & adultam, sed nutritam etiam atque dumtaxat natam justificare omnino asserui, & multis ostendi.* Vult igitur P. Lupus homines sine ea Contritione, quam Trid. sess. 14. c. 4. vocat *Charitate perfectam*, sed cum solo actu, quem Synodus ibidem appellat *Contritionem imperfectam*, seu Attritionem, justificari in mortis articulo, si necessitas excludat Sacramenti susceptionem.

190. Dum addit, se id omnino asseruisse in dissertatione dogmatica, crediderim memoriâ lapsum: nam in dicta dissert: post utrimque agitatam hanc quæstionem, tandem concludit pag. 46.: *Quare videtur incerta esse res hæc, neque profundè nimis inquirenda.* Hinc subdit: *Omni curâ satagere nos oportet, ut neque sine necessario Sacramento ad Dominum abeamus ipsi, & nemo per nostram negligentiam abire cogatur.* Præmiserat insuper

pag.

pag. 45. D. Augustinum eos, qui cum tali pœnitentia sine Sacramento moriuntur *à vita æterna non excludere, sed ad divinæ miserationis incertum dumtaxat remittere.* Tantùm abest ut id omnino asseruerit. Quidquid sit, in Epistola familiari absolutè asseruerat, Attritionem ad salutem sufficere, si citra culpam morientis desit Sacramentum: quod an meritò, & cum fundamento dicatur, videamus.

191. Primò Synodus Tridentina sess. 14. cap. 4. ita loquitur: *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur ......Quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat.* Quo loco teste P. Lupo definitur, nullam Attritionem, seu imperfectam Contritionem sine actuali Sacramento justificare. Verba ejus in Dissert. Dogm. pag. 56. sunt: *Porrò nullam imperfectam Contritionem sine actuali Sacramento justificare, definit disertis verbis Tridentina Synodus.* Si Synodus disertis verbis definiat, nullam Attritionem sine Sacramento justificare; quæso, quo fundamento asseritur tam justificare, quoties urget periculum mortis, si inculpabiliter desit actuale Sacramentum: adeoque omni eo casu justificare, quo præcipuè ejus effectus desiderari potest; sic ut, qui solam Attritionem elicuit, ita securus esse possit, ac si Contritionem elicuisset. Deinde si meritò ab universali illa Tridentini definitione excipiatur casus mortis, cur non similiter excipi poterit casus, quo Parochus sibi conscius peccati mortalis, cogitur sine prævia confessione celebrare? cur negat eo casu etiam justificare solam Attritionem, aut cur ad vim Eucharistiæ recurrit?

192. Secundò D. Augustinus Epist. 180. consultus ab Honorato Episcopo, an ministris Ecclesiæ, tempore incursionis hostilis, licitum sit, populum sibi creditum deserere, ac ad loca tutiora se subducere; respondet id minimè licere: cujus hanc assignat causam: *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem?...... ubi si ministri desint, quantum exitium sequatur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vita æternæ requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quorumdam quanta blasphemia de absentia ministeriorum & ministrorum? vide quid faciat malorum temporalium timor, & quanta in eo sit acquisitio malorum æternorum. Si autem ministri adsint &c.* Præmiserat item in eadem Epistola Augustinus: *Nec ideo tamen propter ista* (id est, propter mala ab hostibus inferenda) *quæ incerta sunt, debet nostri officii esse certa desertio, sine quo est plebi certa pernicies.* Quo loco D. Augustinus palàm supponit aliquos defectu ministro-

rum, & per consequens Sacramentorum perire, qui si ab illis deserti non fuissent, salutem fuissent consecuti, neque de horum interitu tamquam de re dubia & incerta loquitur Augustinus (prout illum in dissert: explicat P. Lupus) sed loquitur planè asseveranter; ait enim: *Quantum exitium sequitur illos? Quanta acquisitio malorum æternorum? sine quo, est plebi certa pernicies; &c.* Nempe quia in tanto hominum ad Baptismum aut Pœnitentiam concursu, plurimi non aliam adferunt dispositionem, quàm eam, quæ actualis Sacramenti consortium requirit ad salutem. Ita hunc Augustini locum intellexit Latomus Tract: de secreta Confess. Pag. 107. *Et tamen,* inquit, *apertè dicunt Cyprianus, & Augustinus, quosdam ex eo damnari, quòd sine Sacramentis decesserint, qui fuissent salvati susceptis Sacramentis.* Ubi insuper pro eadem sententia citat Leonem, Fabianum, ac Patrum Canones, addens sic tenere Ecclesiam; verba Latomi habes supra num. 22. Nec aliter D. Augustinum intellexit Cunerus Petri: Vide Tracta: de Attrit. Num. 250. Id etiam tamquam certum supponit Vega lib. 13. cap. 24. dum ait: *Ideo salutem hominum adimere dicitur, quisquis mortis tempore pœnitentiam eis denegat, quia plerumque per Sacramentum pœnitentiæ justificantur, qui aliàs perirent.* Quòd, si autem vera est sententia P. Lupi, falsum erit, quòd ob defectum ministrorum, aut ministerii in conferendis Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ, exitium sequatur eos, qui sine dictis Sacramentis moriuntur; falsum erit, fugam ministrorum esse certam plebi perniciem &c. Quia in illo articulo vel habent dispositionem requisitam & sufficientem ad justificationem cum Sacramento, vel illam non habent: Si non habeant, non pereunt ex defectu ministri, sed propriâ culpâ, æquè perituri suscepto cum tali dispositione Sacramento. Si verò illam dispositionem habeant; vi hujus solius, sine actuali Sacramento, quo citra culpam carent, justificantur, & salvantur, si P. Lupo credimus.

293. Tertiò, dispositionem, quæ cum Sacramento actu suscepto justificat, non sufficere etiam in articulo mortis sine Sacramento, communissimè censent Doctores, idque fideles passim habent tamquam indubitatum post Tridentinum; & vix ullos reperies, qui id non asserant, vel potius supponant, si illos excipias, qui his duobus Sacramentis virtutem denegant, peccata primò remittendi. Hinc tanta illa sollicitudo, tum fidelium in accersendo ad moribundum Sacerdote, tum præcipuè proborum Sacerdotum, ut in illo articulo accurrant; gravissimèque culparentur, qui ea in parte deprehenderentur negligentes. Hinc etiam plurimi Sacerdotes etiam peste, aliove morbo contagioso infectis, cum vitæ propriæ periculo assistunt, non dubitantes,

tantes, quin per Sacramenti pœnitentiæ adminiſtrationem plurimos ad ſalutem ſint perducturi, qui aliàs fuerant æternùm perituri. Profectò non parùm ea cura & ſollicitudo minueretur, ſi fideles ſibi perſuaderent, in illo articulo eamdem diſpoſitionem ex parte peccatoris, quæ ſufficit cum Sacramento, ſatis quoque eſſe ad ſalutem, dummodo moriens citra ſuam culpam Sacramento careat. Si Tamburinus aut alius quiſpiam hanc ſententiam tradidiſſet, quot quantiſque cenſuris fuiſſet impetitus? Verùm, ut P.Lupus à ſe primùm excogitatam Contritionis per ſe juſtificantis definitionem quocumque demum modo tueretur, neceſſe illi fuit ab Auguſtini aliorumque Patrum citatorum à Latomo, & à receptiſſima Doctorum ſententia, ac fidelium unanimi conſenſu recedere.

194. Hanc mirabilem Contritionis deſcriptionem rurſus tradit, & ſtabilire conatur in Epiſtola Familiari; in qua pag. 28. ita loquitur: *Perfecta Contritio* (id eſt per ſe juſtificans) *perfectam involvit Charitatem, ex ipſa procedit ac per ipſam formatur, ideoque omnes originalis libidinis, licet non motus, tamen affixivos aſſenſus* (id eſt vi quorum in amiſſione doleret, gemitus funderet &c.) *excludere non tantùm debet, ſed & ſuperaſſe. Eſſe debet ſuper omnia iſta non tantùm affectu, ſed viribus inſuper & effectu. Hinc omnes ab illa corporeas voluptates, & ſæcularium vitiorum incentiva, omnes alienas ac vanas cogitationes, purpuram, & quoſvis ſæculi honores comminui, ſupprimi, ſanari, abhorreri, & mentem noſtram plenè, quantùm fert præſens vita, divinis complanari regulis, laudati Patres affirmant.* Ecce juxta P. Lupum, ut aliquis elicere poſſit Contritionem perfectam, id eſt, juxta ipſum, per ſe juſtificantem, pertigiſſe debet ad ſupremum culmen perfectionis in hac mortali vita poſſibilis. Idque vult affirmari à Patribus, quos eodem loco adducit; examinemus illorum teſtimonia, aliorumque ab ipſo alibi objectorum.

195. Primò adfert S. Hilarii verba: *Contritio ergo illa, ſive confractio eſt, quæ in nobis corporeas voluptates, & ſæcularium vitiorum incentiva comminuit, dignoſque nos dignatione Domini præſtabit, & ſecundùm dictum Prophetæ cor contritum & humiliatum Deus non ſpernet.*

Reſp. Licet S. Hilarius hoc loco ageret de Contritione & confractione cordis, quæ fit per amorem Dei, nihil omnino urgeret nos hoc teſtimonium; dum enim dicit per Contritionem corporeas voluptates, & ſæcularium vitiorum incentiva comminui; gratis id explicueris de aliis voluptatibus aut vitiis, quàm quæ mortalia peccata ſunt; præſertim cum eâdem columnâ paulò infra dicat, confringi inexplebiles cupiditates, illecebroſas laſcivias, ferventes iras, inanes ſuperſtitiones &c.

Deinde non recurrit S. Hilarius ad admirabilem illam P. Lupi distinctionem inter assensus affixivos,& volaticos. Denique non dicit solam illam Contritionem sine Sacramento justificare.

196. Dixi, licet loqueretur de Contritione seu confractione, quæ fit per castam Dei super omnia dilectionem. Nam revera illic agit de confractione, quæ fit per terrorem, ac timorem judicii; explicans enim pag. 198. col. 2. illud Ps. 2. *Reges eos in virga ferrea, tamquam vas figuli confringes eos:* asserit quibusdam hæc videri adversa bonitati divinæ, ut gentes, quas filius poposcit, & accepit in hæreditatem & possessionem, terrore virgæ ferreæ regat,& modo vasis figuli confringat:& paulò infra exponens, quæ sit illa virga ferrea, addit: *Quia omnis Dei sermo, quo ex errore in veritatem Dei retrahimur, quo per* COMMINATIONEM TERROREMQVE IVDICII *ad innocentis & sanctæ vitæ viam regimur, virga est nuncupatus: per quam intra disciplinam divini metus cohibiti, moderati ac prudentis rectoris monitu coërcemur.* Et rursus pag. 199. col. 1. *Cum unicuique nostrûm doctrinæ* TERROR *regimen perfectæ beatitudinis admoneret........ Hâc ergo virgâ ferreâ reget, ita ut confringat, & conterat.* Et statim subjungit verba, quæ in suæ sententiæ patrocinium adducit P. Lupus. Denique concludit ibidem: *Sic petitas atque obtentas hæreditatis suæ gentes Deus confringet, & conteret, ut reformet: confringit enim Deus in omnibus omnes inexplebiles cupiditates, & illecebrosas lascivias, & ferventes iras, & inanes superstitiones, & tumentes fastus, & impias opiniones. Reformet autem nos ad rationabilem vitæ usum contemptu pecuniæ, luxus pudore, iræ moderatione, veri scientiâ, communione vivendi, religionis officiis: cum per doctrinæ regimen* TERROREMQVE IVDICII *in has virtutes post illa vitia reviviscimus.*

197. Ergo S. Hilarius per confractionem & contritionem in dictis Psalmi verbis expressam, intelligit exstirpationem vitiorum, eorumque reformationem in opera vitiis contraria; illam statuit obtineri per virgam ferream; per virgam autem ferream ubique intelligit terrorem & timorem judicii, nullibi factâ mentione amoris Dei propter se & super omnia. Quare omnino perperam hunc pro se adfert P. Lupus, cui hic sanctus Pater planè adversatur, asserens per timorem judicii vitiorum incentiva in nobis comminui &c. Nobis ergo telum contra se subministravit, tantùm abest, ut invenerit gratis excogitatæ Contritionis patronum.

198. Opponit 2. S. Basilium in Ps. 33. sic loquentem: *Contritio cordis demolitio est, & suppressio humanarum cogitationum. Quicumque enim præsentia despexerit, seque verbo Dei addixerit, & suam ipsius mentem iis contradiderit intelligendis, quæ supra hominem & longè diviniora sunt; hic demum est*

qui

qui tribulato sive contrito est corde, idque sacrificium obtulit, quod minimè contemnitur apud eum.

Resp. in hoc testimonio nulla rursus fit mentio amoris Dei: despectus autem præsentium, & applicatio ad intelligendum Dei verbum, haberi possunt ex motivo timoris, quem eâdem homiliâ paulò supra hic S. Pater luculentissimè laudaverat tamquam frænum, quo vitiosæ cupiditates cohibentur. Deinde non recurrit ad distinctionem inter assensus affixivos, & volaticos. Quid ergo hic subsidii pro P. Lupo? Denique Basilius illic scribens in ea Ps. verba: *Prope est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit:* asserit in illis sermonem esse de adventu Domini in carne, conformiter ad id, quod habet Isaias: *Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.* Quid verò per contritionem intelligat, explicat ipse ibidem: *Jam quando medicus mittebatur contritis corde: prope, inquit, est Dominus vobis, dico humilibus, & qui per contritionem, fastum & animi elationem expunxistis à vobis; prope adest, jam jam vos affecturus gaudio & ad longanimitatem deducturus.* Et immediatè subdit verba, quæ pro se adducit P. Lupus. Hinc patet sensum S. Basilii hoc loco esse de Contritione, quæ per suppressionem fastus & superbiæ reddit animum paratum, ad Christi in carne venientis verba excipienda, iisque mentem tradendam seu applicandam: Quid hoc, quæso, ad institutum nostrum? Similiter quod adfertur ex S. Dorotheo Archimandrita: *Contritio cordis est, si id vagari non permittas in alienis & vanis cogitationibus.* Sive, ut habetur in meo exemplari: *Contritio cordis est non permittere ipsum murmurare cum alienis cogitationibus.* Hoc, inquam, ad rem propositam nihil facit, ut tum ex dictis, tum per se manifestum est.

199. Tertiò objicit ex B. Laurentio Justiniano. *Primum sacrificium, propter quod homo ad perfectam proficit justitiam, est sacrificium contriti cordis pro perpetratione scelerum suorum. Nam contritio sola est, quæ facit animum abhorrere purpuram, desiderare cilicium, amare lachrymas, fugere risum & veram sectari justitiam.* Ita B. Laurentius, in Ligno vitæ Tract. de Virtute Justitiæ cap. 6. Locum non indicavit P. Lupus; credo, quia verebatur ne eo capite tantùm inspecto collabasceret objectio.

200. Resp. igitur in illis verbis B. Laurentium asserere, quòd primum sacrificium, quo ad perfectionem Justitiæ attingatur, sit dolor de peccatis commissis, qui faciat *abhorrere purpuram* &c. quantum hoc necesse est, vel ad vitandum peccatum ejusve periculum, vel ad satisfaciendum pro commissis; quo loco non tantùm non agit de charitate illa Dei perfectissima, quam adinvenit P. Lupus; sed ne quidem de

Dei dilectione tractat, saltem determinatè, sed ut summum indeterminatè, in quantum loquitur de Contritione seu detestatione peccatorum, ex quocumque demum motivo. Manifestum id fiet consideranti locum Laurentii. Nam illo cap. 6. quærit in titulo. *Quibus studiis exerceatur anima, ut ad perfectionem veræ justitiæ attingat, & quæ sit ipsius perfectio?* tum in contextu asserit hominem ad perfectionem veræ Justitiæ duci per varia sacrificia, quæ pergens ordine recensere, ita loquitur: *Primum enim sacrificium..... est sacrificium contriti cordis* &c. supra; hoc ponit tamquam primum, quia qui veram justitiam ac perfectionem sectatur, ante omnia deserere debet peccata & ab his mundari. Tum pergit: *Aliud sacrificium est corporis propter Deum mortificati.... Tertium verò sacrificium, propter quod impletur Justitia, & Deus promeretur, est, cum miseriis proximorum compatimur ex corde....Est & aliud sacrificium, quod pro amore justitiæ homo Deo offert, id est, cordis igne* DIVINI AMORIS *inflammati. Si igitur vis à vitiis perfectè purgari & justitiam perfectam obtinere, in quantum prævales, accende in te ignem divini amoris. Nam si dulcedinem divini amoris gustaveris, de temporali delectatione non curabis, tantòque ardentiùs justitiæ opera implebis, quantò amplius cœlesti dilectione abundaveris, & tunc Deo suavissimum incensum adolebis, cum cor tuum ejus pio sanctoque amore flagraverit. Quintum autem sacrificium, per quod justitia consummatur, si Deo jugiter offeratur, est sacrificium laudis.... hac est, quæ cives cœlestes lætificat, & beatos facit &c.* Ecce B. Laurentius Justinianus gradatim ascendens à primo gradu ad quintum, qui perfectionem justitiæ consummat: quartum sacrificium, & aliud à prioribus, assignat charitatem seu divinum amorem; ergo in primo gradu seu sacrificio non egit, saltem determinatè, de amore Dei propter se, & super omnia, multò minùs de amore illo perfectissimo, pro quo illum adducit P. Lupus.

201. Hic adverte, quomodo vocem, Contritio, P. Lupus pro libitu accipiat, modò prout species est Attritioni opposita, modò prout genus est, & communis tam Attritioni, quam Contritioni: sic in quatuor testimoniis proximè adductis, licet in illis nec verbum sit de amore erga Deum, vult nihilominus Contritionem ibi sumi antonomasticè, sive pro ea, quæ vi suâ justificat. Alibi verò, ut supra vidimus, dum author quispiam requirit amorem in Contritione, sine ulla probatione vult accipi Contritionem in illis testimoniis genericè, prout etiam Attritionem complectitur, inde inferens etiam Attritionem debere esse dilectione formatam.

202. Objicit quartò, quæ habet Catechismus Romanus parte 2. cap. 5. num. 26. *Summum verò & maximum dolorem ex peccatis, quæ com-*

missa sunt, suscipiendum esse, ita ut nullus maior excogitari possit, facile erit hisce rationibus demonstrare. Nam cum perfecta contritio sit charitatis actio, quæ ab eo timore, qui filiorum est proficiscitur: patet eundem contritionis & charitatis modum statuendum esse. At quoniam charitas, quâ Deum diligimus, perfectissimus est amor, hinc fit, ut contritio vehementissimum animi dolorem coniunctum habeat. Ut enim maximè diligendus est Deus, ita quæ nos à Deo alienant maximè detestari debemus. In qua etiam illud observandum est, eodem loquendi genere charitatis & contritionis magnitudinem in sacris litteris significari. De charitate dictum est: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Rursus, quod ad contritionem attinet, clamat Dominus per Prophetam; Convertimini in toto corde vestro..... Illud etiam animadvertendum est, ut quemadmodum S. Bernardo teste nullus finis & modus charitati præscribitur (modus enim, inquit ille, diligendi Deum, est ipsum diligere sine modo) ita peccati detestationi nullus modus definiatur. Sit præterea non solum maxima, sed vehementissima, atque adeo perfecta, omnemque ignaviam & socordiam excludat. Ita author Catechismi Romani; ex quo sic colligit P. Lupus pag. 23. *Contritionem & Dei dilectionem rectissimè asserit ambulare eisdem magnitudinis & quantitatis passibus; ideoque tot esse contritionis species seu classes, quot sunt dilectionis. Quare uti hæc, ita & illa alia est nata, quædam nutrita, alia adulta, robusta alia, alia perfecta. Et hæc* (nempe perfecta Contritio seu per se justificans) *esse debet sine fine & modo, ex toto corde, vehementissima, maxima, excludere omnem socordiam, atque ignaviam, id est omnem affixivum cupiditatis assensum:* id est, juxta P. Lupum, omnem talem affectum, vi cujus in amissione rei gemitum aut lachrymas funderet.

203. Resp. 1. in verbis Catechismi nihil haberi, per quod magis excludantur assensus affixivi, quàm volatici, aut contra: nam cum illi amores volatici venialia peccata sint, æquè ac affixivi, adeoque utrique sint quædam socordia & ignavia, si ex eo, quòd debeat contritio esse *maxima, vehementissima, sine fine, sine modo, omnem ignaviam & socordiam excludens* &c. rectè sequatur, quòd debeat excludere amores affixivos, sequetur, etiam excludi debere volaticos: ac proinde omninò gratis additur ab adversario, *id est, omnem affixivum cupiditatis assensum.*

204. Resp. 2. sensum authoris Catechismi esse, quòd, cum Contritio perfecta debeat esse ex dilectione amicitiæ, hæc autem dilectio consistat in eo, quòd velit bonum amici propter se, sive etiam absentiam ejus, quod illi malum est, eodem passu sine dubio procedant & augeantur perfectio amoris Dei & perfectio detestationis peccati. Dum autem dicit, dolorem in Contritione debere esse summum

 & maxi-

& maximum, ita ut nullus major excogitari possit, nihil aliud vult indicare, quàm quòd debeat illa detestatio esse super omnia mala, sicut amor, quo diligendus Deus, debet esse super omnia. Clarum id est, ex verbis Catechismi; nam debere esse summum, maximum &c. probat ex eo, quòd Contritio perfecta sit Charitatis actio, Charitas autem, quâ Deum diligimus, sit amor perfectissimus, præcepta his verbis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Atqui in illo præcepto non præcipitur alius actus, quàm amoris Dei propter se super omnia: ergo idem est de dolore & detestatione reperta in Contritione. Porrò, ne dubium superesset, ipse Catechismi author explicat, quomodo Charitas erga Deum debeat esse summa, dum ibidem subdit: *Omnibus verò rebus Dei amorem anteponendum esse, ita ut ne vitæ quidem conservandæ causâ peccare liceat, apertè nos docent illa Domini verba;* QVI AMAT PATREM AVT MATREM PLVS QVAM ME &c.

205. Reliqua quæ P. Lupus Epistolæ Familiaris pag. 59. & 60. pro mirabili sua contritionis per se justificantis definitione depromit, vel ad rem omnino non faciunt, vel solùm probant, quòd habere animum ab omni affectu non tantùm affixivo, sed etiam volatico erga rem creatam planè liberum, & etiam, si vis, delectabiliter mori & patienter vivere, sint charitatis aliqua major perfectio, quod nemo negaverit; hinc tamen minimè probatur, nullam aliam charitatem, nisi perfectissimam illam, & hominibus passim vix possibilem, necessariò requiri ád contritionem suâ vi sine Sacramento actuali justificantem; pro qua sententia authores quærere, est frustaneo sese labore fatigare.

CAPUT XIV.

An justè queratur P. Lupus, læsam authoritatem S. Augustini, & aliorum SS. Patrum.

SUscipit P. Lupus Epistolæ Famil. pag. 48. defendendam authoritatem S. Augustini. Rectissimè id quidem, si contra eos agat, qui illam læserunt.

206. Pag. citatâ ita loquitur: *Grandem hunc Ecclesiæ solem* (Augustinum) *esse per Apostolicas in Cornelium Jansenium Constitutiones eclypsatum, & utriusque de victrici Dei gratiâ doctrinam ictu uno damnatam à Sede Apostolica, piorum in Belgio aures cum offensione & scandalo frequenter audiverunt.*

207. Hæc P. Lupi justa querela est; sed quæ me, meique similes nullo

nullo modo tangit. Hi enim, ut tum in thesibus, tum in libris plurimis de hac materia editis videre est, id unum totis viribus semper contenderunt, quinque illas damnatas propositiones S. Augustino perperam, & per calumniam aut inscitiam, adscribi: eaque ex hoc S. Patre protulerunt, in quibus manifestè tradit doctrinam damnatæ planè contrariam. Quare credo P. Lupum conqueri (quod justissimè factum) contra eos, qui per fas & nefas hominibus in Theologicis & in S. Augustino minùs versatis, persuadere conati passim sunt, doctrinam à recentiore illo Authore traditam, & damnatam, illam ipsam esse, quam in suis scriptis posteritati reliquit magnus Augustinus, adeo ut nec ovum ovo similius esse possit, frustraque laboretur in discrimine vel minimo aut assignando, aut investigando. Hos ego judico rectissimè à P. Lupo reprehensos, tamquam grandi illi Ecclesiæ Soli injuriosos. Quòd si ex similium hominum dictis quandoque alii intulerint; ergo etiam S. Augustini doctrina damnata est, rectam illationem & consequentiam attenderunt, ac indicarunt; tam antecedens, quàm consequens constanter interim negantes.

208. Transeo igitur ad aliud punctum, quod me concernit. In sua Dissertatione Dogmatica cap. 16 quæsierat P. Lupus; rectène Synodus Tridentina dixerit, quòd servilis gehennæ metus non faciat hominem magis peccatorem? Responderatque, rectè dicere; *Etenim,* inquit, *loquitur cum Augustino.* Ad hæc reposui in Tract: de Attritione num. 34. *Ecce rationem, cur rectè definiat Tridentinum* (nempe quia idem docet cum Augustino) *Ego verò è contra dicendum autumo; nempe, dum Conciliorum dictis consentientia reperiuntur in Augustino, præcipuum robur Augustino à Conciliis accedere: suam vero Conciliorum definitionibus veritatem & firmitatem integram stare, sive idem dixerit Augustinus, sive oppositum; quod obiter contra tales loquendi modos volui indicatum.*

209. Læsam à me in his verbis non tantùm D. Augustini, sed & omnium generatim Ecclesiæ Patrum authoritatem expostulat P. Lupus; ita loquitur pag. 48. *Etiam S. Augustinum impetit Accusator.* Et pag 49. *Non adversus solum Augustinum, sed generatim adversùm omnes Ecclesiæ Patres scripsit etiam Accusator,* Nescio cur omnes alios Patres hîc appellet P. Lupus, nisi fortè S. Augustinus sit omnes Patres; nam aliorum Patrum ne memini quidem. Rejeci hanc causalem: ideo rectè loquitur Synodus Tridentina, quia idem docuit Augustinus; rejecturus similiter quamcumque aliam priori similem, ut hanc; ideo rectè loquitur Synodus, quia loquitur cum S. Cypriano, vel quia cum S. Ambrosio. Si propter hoc asserat P. Lupus, me adversùs S. Augustinum & omnes Sanctos

ctos Patres ſcripſiſſe, eoſque impetiiſſe, injuſtè ſine dubio queritur, violatam à me SS. Patrum authoritatem: nam illam cauſalem rejicere, eſt ipſis D. Auguſtini aliorumque Patrum veſtigiis inſiſtere. Nonne Sancti Patres ac Pontifices nos docuerunt, quatuor prima Concilia Generalia (& eadem de poſterioribus eſt ratio) recipienda eſſe velut quatuor Evangelia? Sicut ergo minùs rectè quis diceret; idcirco rectè loqui Evangelium, quia eodem modo loquitur S. Auguſtinus; ita nec ea ratio adferenda eſt pro veritate definitorum à Conciliis. Cum enim conſtet Concilia Generalia ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti in definiendo errare nullo modo poſſe, non rectè definitionis infallibilis veritas remittitur ad authoritatem illius, qui tali infallibilitate præditus minimè eſt; ſed è contra ex ipſa Conciliorum definitione colligendum eſt, an hic aut ille Sanctus Pater in eo, quod docuit, veritatem certò ſit aſſecutus. Sic D. Auguſtinus, cum in duobus Conciliis Africanis definitum eſſet contra Pelagianos, naturam ſine gratia ſibi non ſufficere; hujus definitionis veritatem & firmitatem, ab Apoſtolicæ Sedis reſponſo, tamquam controverſiæ infallibiliter diremptivo, petendam cenſuit: ita enim loquitur ſerm. 2. de Verbis Apoſt. in fine: *Jam enim de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Apoſtolicam Sedem: inde jam reſcripta venerunt: cauſa finita eſt.*

210. Neque periculo caret dicta cauſalis: Ideo rectè loquitur Tridentinum, quia ſentit cum Auguſtino. Hanc enim, qui ut legitimam admittit, quid reſpondebit, ſi quoad ſenſum Scripturæ, v. g. circa creationem ſucceſſivam hujus univerſi, D. Auguſtino ab aliis Patribus diſſentiente, Synodus aliqua ſententiam horum definiat? Quid reſpondebit hæreticis paſſim clamantibus & cavillantibus, à Tridentino aut aliis Conciliis definita eſſe quædam cum doctrina D. Auguſtini pugnantia, ac propterea non rectè eſſe definita?

211. Ut autem probet P. Lupus, me in hoc injurium fuiſſe D. Auguſtino, hæc adfert; Quòd Concilia ſæpe profiteantur, ſe ſequi Sanctos Patres, ſeu paternas traditiones &c. Inter Sanctos autem Patres quis ambigat eſſe S. Auguſtinum, præſertim in materia de gratia & juſtificatione. Verùm quâ, quæſo, novâ formâ ex his inferre poterit P. Lupus; ergo idcirco rectè definit Synodus, quia loquitur cum Auguſtino; aut illum D. Auguſtini authoritatem violare, qui hanc cauſalem minùs probat?

At, inquit, Concilia, ante definitionem, SS. Patrum ſcripta conſuluerunt, imò & ex S. Auguſtino multa definivit Synodus Tridentina &c. Ita ſit: ſed quomodo hinc ſequitur; ergo ideo rectè definivit, quia

quia ex Augustino? Hæc nimirum erat consequentia probanda, ad quem finem nihil omnino subserviunt illa omnia, quæ hîc profert P. Lupus.

CAPUT XV.

Examinatur mens D. Thomæ circa juncta inter nos controversa.

212. Plurima ex D. Thoma, tum cap. 7. à pag. 64. tum sparsim alibi, testimonia profert P. Lupus, quibus pleraque à se dicta nititur probare. Ego satius judicavi, omnia in unum locum & hoc caput remittere, quàm diversis locis illius circa diversa doctrinam exponere, & objectis respondere; ut nempe hac ratione S. Doctoris mens, P. Lupo planè opposita, clariùs omnibus innotescat. Et, ut ordinatè procedamus, primò ostendemus, quid intelligat D. Thomas per timorem servilem, 2. quid sentiat de vi timoris ad retrahendos homines à peccato. 3. Quid doceat de actu spei. 4. Quid de bonitate & laudabilitate timoris. 5. Quid de ejusdem actus supernaturalitate. 6. Quotuplex Divo Thomæ sit amor Dei. 7. Denique, cum de actu in Sacramento pœnitentiæ requisito & sufficiente D. Thomas morte præventus in Summa non scripserit, solvemus, quæ ex illius scriptis pro Attritionis insufficientia deprompsit P. Lupus; uti & ea, quæ adducit ex supplemento. Ex quibus judicari poterit, utrum [illegible] meliori jure pro nobis citari possit S. Doctor.

213. Primò igitur, ut meliùs percipi[illegible]; quid per timorem servilem intellexerit D. Thom[illegible], [illegible] paulò altiùs repetenda est. S. Doctor 2.2. quæst. 1[illegible] art. 2. quadruplicem assignat timorem; nempe mundanum seu humanum, servilem, initialem, & filialem; asserens timorem in hac divisione non sumi in tota sua latitudine seu universalitate, sed tantùm, *secundùm quod per ipsum aliquo modo ad Deum convertimur, vel ab eo avertimur:* sive, ut loquitur ibidem ad primum: *Hæc autem divisio timoris attenditur in ordine ad Deum.*

214. Timorem mundanum seu humanum vocandum censet non omnem illum, quo timentur mala temporalia, ut sunt amissio bonorum, pœna, aliaque quæ ab homine timeri possunt incommoda; sed istum tantummodò timorem, quo quis metu mali ab altero infligendi per peccatum à Deo recedit. Nam ejusdem quæst. art. 3. cum hanc

statuisset conclusionem: *Cum timor mundanus à mala sit radice, scilicet ab amore mundi, semper malus necessariò est.* Ut constet, de quo timore mundano, seu de quo amore mundi hoc pronunciet, ita subdit in Corp: *Amor mundanus propriè dicitur, quo aliquis mundo innititur tamquam* FINI. .... *Timor autem ex amore nascitur.* Porrò mundo inniti, seu inhærere tamquam *fini*, non est hærere in motivo timoris, seu non referre ulteriùs ad Deum propter se dilectum tamquam finem; sed est, ita amare bona, vel sic fugere mala temporalia, ut quis, ne bona amittat vel illa mala incurrat, paratus sit Deum offendere, vel de facto offendat. Ita seipsum in eâdem quæst. explicat D. Thomas art. 2. in Corp: *Cum enim,* inquit, *objectum timoris sit malum, quandoque homo propter mala, quæ timet; à Deo recedit: & iste dicitur timor humanus vel mundanus,* Item art. 3. argumentum secundum, quo ostendatur timorem mundanum non semper esse malum, est hujusmodi: *Ad timorem mundanum videntur pertinere pœnæ, quæ per potestates sæculares infliguntur: sed per hujusmodi pœnas provocamur ad bene agendum ad Rom. 13. ergo timor mundanus non semper est malus.* Cui argumento sic respondet D. Thomas: *Ad secundum dicendum, quòd potestates sæculares, quando inferunt pœnam ad retrahendum à peccato, in hoc sunt Dei ministri, & secundùm hoc timere potestatem sæcularem, non pertinet ad timorem mundanum, sed ad servilem vel initialem.* Et rursus ibidem ad argum. 3. nempe, quòd timere malum, nobis naturaliter insit, adeoque nec malum; ita respondet: *Ad tertium dicendum, quòd hoc est naturale, quòd homo refugiat proprii corporis detrimentum, & damna temporalia rerum. Sed quòd homo propter ista recedat à justitia, est contra rationem naturalem.* Eodem sensu dixerat ad primum; laudabile esse, non revereri homines, quando contrariantur, aliàs esse vituperabile. Denique eâdem quæstione art. 2. ad 4. [illegible] *quòd prædicti tres timores respiciunt pœnam diversimodè. Nam timor mundanus, sive* [illegible] *respicit pœnam à Deo avertentem, quam quandoque inimici Dei infligunt vel comminantur*

Ex his redditur manifestum, quid juxta D. Thomam sit inniti mundo tamquam fini, seu amare bona, vel timere mala temporalia veluti finem; nempe sic amare vel timere, ut propter illa per peccatum à Deo recedatur; & hunc propriè esse timorem mundanum seu humanum: non autem, dum quis ea amat vel timet, non tamen ita, ut ad ea obtinenda vel evitanda velit Deum offendere.

215. Porrò sicuti hîc locutus est D. Thomas de timore mundano, sic inferiùs discurrit de timore servili. Articulo 6. quærit: *Utrum timor servilis remaneat cum charitate?* Quam quæstionem hac ratione dissolvit: *Dicendum quòd timor servilis ex amore sui causatur: quia est timor pœnæ, qui est detrimen-*

detrimentum proprii boni. Unde hoc modo timor pœnæ potest stare cum charitate, sicut & amor sui. Ejusdem enim rationis est, quòd homo cupiat bonum suum, & quòd timeat eo privari. Amor autem sui tripliciter se potest habere ad charitatem. Uno enim modo contrariatur charitati, secundùm quòd aliquis in amore proprii boni FINEM *constituit. Alio verò modo in charitate includitur, secundùm quòd homo se propter Deum & in Deo diligit. Tertio modo à charitate quidem distinguitur, sed charitati non contrariatur, puta cum aliquis diligit seipsum secundùm rationem proprii boni: ita tamen, quod in hoc proprio bono non constituat* FINEM. *Sicut & ad proximum potest esse aliqua alia specialis dilectio, præter dilectionem charitatis, quæ fundatur in Deo; dum proximus diligitur ratione commoditatis, consanguinitatis, vel alicujus alterius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis sit ad charitatem. Sic ergo timor pœnæ includitur uno modo in charitate .... hoc pertinet ad timorem castum. Alio autem modo contrariatur charitati, secundùm quòd aliquis refugit pœnam contrariam bono suo naturali, sicut* PRINCIPALE MALUM *contrarium bono, quod diligitur ut* FINIS: *& sic timor pœnæ non est cum charitate. Alio modo timor pœnæ distinguitur quidem secundùm substantiam à timore casto, quia scilicet homo timet malum pœnale * non ratione separationis à Deo, sed in quantum est nocivum proprii boni, nec tamen in illo bono constituitur ejus* FINIS: *unde nec illud malum formidatur, tamquam* PRINCIPALE MALUM. *Et talis timor pœnæ potest esse cum charitate.* SED TIMOR POENÆ NON DICITUR ESSE SERVILIS, NISI QUANDO POENA FORMIDATUR SICUT MALUM PRINCIPALE, *ut ex dictis patet.* Nempe, prout citatur in margine articulo 2. hujus quæst. ad 4. verba dedimus supra.

216. Hoc loco D. Thomas triplicem distinguit timorem pœnæ: primum, quo quis pœnam metuit tamquam malum principale, sive sic, ut in bono proprio constituat *finem*: id est, prout supra explicaverat de timore mundano, sic ut paratus sit peccare, vel etiam actu peccet ad evitandam dictam pœnam: & hunc timorem asserit contrariari charitati; quod idem dixerat art. 4. de timore servili, de quo illic agit. Alterum verò assignat timorem, qui adjunctum habeat amorem Dei, quo quis se diligit propter Deum & in Deo. Tertiùm denique, quo aliquis sine dilectione Dei propter se, seipsum diligit secundùm rationem proprii boni, seu timet malum pœnæ, in quantum hoc est proprii boni nocivum: sic tamen, ut in hoc non constituat *finem*; id est, juxta D. Thomam, sic ut non sit paratus peccare, seu de facto peccet, ad illud bonum consequendum, vel ad illud malum evitandum.

* Ita habent sex diversæ apud nos editionis exemplaria, quamvis in duobus tribusve aliis editionibus omittatur particula, *non*, quam tamen requirere videtur contextus, & illa particula oppositiva, *sed*. Quod hic volui indicare.

tandum. Hunc autem timorem asserit stare cum charitate, & non vocari servilem, id est non esse propriè servilem (conformiter ad id, quod supra dixerat de timore mundano) nam hunc ipsum timorem sæpissime ipsimet D. Thomas vocat servilem: Similiter art. 8. dicit hunc timorem servilem aliquo modo vocari initialem, quod admitti nequit de timore mundano vel servili strictè & propriè dicto. Atque hac ratione optimè datur percipere, cohærentiam doctrinæ D. Thomæ, quoad hos duos timores, mundanum & servilem, ut de utroque pariformiter loquatur; nec enim poterat sine inconsequentia, non eodem modo discurrere de timore Dei seu gehennæ, quo locutus fuerat de timore pœnæ ab homine infligendæ; utrumque timorem distinguens in diversos timendi modos, nempe unum, quo timetur malum pœnale tamquam *finis*, sic ut ad illud vitandum quis peccet; alterum, quo timetur idem malum, sed non tamquam *finis*; quæ omnia magis confirmabuntur ex sequentibus.

217. Quando timor est servilis juxta primam acceptionem, sic nimirum ut in fuga pœnæ, seu amore proprii boni constituatur finis, hunc interpretes ad hanc quæstionem, vocant servilem objectivè, seu ex parte objecti; & talis timor est absolutè & simpliciter malus, ac peccaminosus (prout de timore mundano accepto in eadem significatione pronuntiat D. Thomas supra, semper esse malum) ac proinde timor hoc modo servilis, nullo modo consistit cum Charitate, sed ei contrariatur. Præter timorem servilem in hoc sensu, alium agnoscunt interpretes ad art. 4. hujus quæstionis; nempe illum, qui sit servilis ex parte subjecti, sic ut timor servilis hoc modo acceptus, significet timorem, qui est in servo; id est, in peccatore & injusto, quem timorem D. Thomas illo art. 4. appellet malum ex parte servilitatis, seu extrinsecè: quia nimirum is, in quo dictus timor reperitur, est malus ratione peccati habitualis, licet ipse timor secundùm se, & quatenus pro objecto habet pœnam, sit simpliciter bonus: & hanc esse mentem D. Thomæ affirmat Bannez ad dictum art. 4. probatque ex eo, quòd D. Thomas ibi adferat exemplum fidei informis, quam constat denominari informem ex parte subjecti: item ex eo quòd dicat: *Quod contingit in non habente charitatem.*

218. In iis, quæ hactenus de timore mundano & servili diximus, habemus nobis consentientes omnes passim D. Thomæ Interpretes. Videri possunt Bannez, Pesantius, Jsambertus, Malderus, Sylvius, aliique passim qui ad art. 4. quæstionis 19. datarum expositionum vel alterutram, vel utramque adhibent. Bannez in dictum locum duo addit Notanda.

Pri-

Primum eſt; quia, inquit, tempora ſunt periculoſa, & Lutherani timorem inferni aiunt eſſe peccatum; tutius eſt, cum quæritur, an timor ſervilis ſit ſimpliciter malus, diſtinguere ut S. Thomas diſtinxit, quòd nempe timor ſervilis objectivè ſit ſimpliciter malus, ſervilis autem ſubjectivè ſit ſimpliciter bonus. Ratio eſt, inquit Bannez, ne fortè videamur in ſermone conformari cum errore Lutheranorum, ſi dixerimus eſſe ſimpliciter malum. Item, quia in uſu Theologorum timor ſervilis non accipitur illo modo, ut dicat ſervilitatem objectivè, ſed ſubjectivè.

219. Alterum, quòd Concilium Tridentinum ſeſſ 6. can. 8. definiens contra hæreticos de timore, non vocaverit timorem ſervilem, ſed timorem gehennæ: quia nimirum timor ſervilis diverſis modis accipitur, & aliquo ſenſu eſt ſimpliciter malus.

220. Hinc corruunt omnia argumenta P. Lupi, quibus ex D. Thomæ authoritate probare nititur, timorem gehennæ (ſi deſit charitas actualis) aut neceſſariò annexam habere concupiſcentiam actualem peccaminoſam, aut ipſum timorem, juxta D. Thomam, peccatum mortale eſſe. Nam quæ de alio timore, de quo inter nos nulla eſt controverſia, meritò pronuntiat S. Doctor, ea perperam applicat P. Lupus actui timoris, quem in Attritione involvi dicimus, & de quo diſputamus. Quod nihil aliud eſt, quàm æquivocatione rem claram involvere & obſcurare.

221. Secundò: doctrina D. Thomæ eſt, quòd timori ſervili ſeu gehennæ, inſit vis, hominem ad Deum convertendi, & faciendi ut ceſſet à peccato. Sic 2.2.q.17.art. 8. in corp. ait: *Sicut enim aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc, quòd timens à Deo puniri* CESSAT A PECCATO, *ut Auguſtinus docet &c.* quod repugnat P. Lupo aſſerenti, omnem illum peccatorem, qui gehennam metuit, peccatum mortale actu continuare. Et ibidem quæſt. 19. art. 2. in corp. *Quandoque homo propter mala, quæ timet, ad Deum convertitur, & ei inhæret: quod quidem malum eſt duplex, ſcilicet malum pœnæ & malum culpæ. Si ergo aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor ſervilis.* Ubi etiam adverte, juxta D. Thomam dari poſſe converſionem ad Deum propter pœnam, vel ex timore ſervili, quod tamen paſſim rejicit P. Lupus, dolorem de peccatis & propoſitum conceptum ex metu gehennæ vocans contritionis & converſionis fucum. Et ibidem ad 4. *Timor ſervilis & initialis reſpiciunt pœnam, per quam homines attrahuntur ad Deum.* Ergo poteſt homo ſincere ſe ita trahi timore pœnæ, ut ab omni peccato abſtineat, quod tamen conſtanter negant adverſarii. Rurſus art. 7. in cor.

Timor servilis est sicut principium extra disponens ad sapientiam, in quantum aliquis timore pœnæ DISCEDIT A PECCATO, *& habilitatur per hoc ad sapientiæ effectum, secundùm illud Eccles.* 1. TIMOR DOMINI EXPELLIT PECCATUM. Ergo juxta D. Thomam, hic locus Scripturæ, asserens, per timorem expelli peccatum, intelligitur de timore servili. Denique 3. parte, quæst: 85. art. 5. in corp. *Tertius*, inquit, *est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum* A PECCATIS RETRAHITUR.

222. Tertiò: actum spei sistentem in suo objecto, & distinctum ac separatum à Charitate, tradit D. Thomas esse actum bonum, actum virtutis, & quidem Theologicæ: ut videre est ex tota Quæstione 17. ejusdem partis. Ab hac doctrina longissimè recedit P. Lupus, dum desiderium vitæ æternæ, seu actum spei hærentem in proprio suo objecto, seu non relatum ultimatè ad Deum propter se super omnia dilectum, vocat *turpissimam avaritiam, & concupiscentiam: dictu nefas & cogitatu horrendum &c.*

223. Quartò, Timorem servilem vocat D. Thomas actum bonum atque laudabilem: part. 3. quæst. 85. art. 7. quærens, *Utrum Pœnitentia sit prima virtutum?* ita loquitur in corpore: *Dicendum quòd actus quidam laudabiles etiam tempore præcedere possint actum & habitum Pœnitentiæ, sicut actus Fidei & Spei informium, & actus timoris servilis.* Ubi actibus bonis virtutum Theologicarum Fidei & Spei, annumerat actus timoris servilis: idem tradit sæpè alibi. Deinde, cum juxta D. Thomam per timorem servilem attrahamur & convertamur ad Deum, eique inhæreamus; cum per illum discedamus & cessemus à peccato, non potest timor servilis non esse bonus & laudabilis. Denique timorem gehennæ ad Spem reducit D. Thomas 2. 2. q. 17. cujus rei ratio est, *quia ejusdem rationis est, quòd homo cupiat bonum suum, & quòd timeat eo privari*: ut loquitur quæst. 19, art. 6. Et art. 9. manifestè supponit timorem, de quo agimus, esse virtutem, dum ait, illum timorem *esse aliquid minùs virtute Theologicâ.*

224. Quintò, Timor pœnæ seclusâ Charitate actuali, juxta D. Thomam, est actus supernaturalis. Ita tradit manifestè 3. part. quæst. 85. art. 5. ubi quærit; *Utrum principium Pœnitentiæ sit ex timore?* Tertium autem argumentum in oppositum adfert hujusmodi: *Timor est quidam actus interior hominis; Pœnitentia autem non videtur in nobis esse ex opere hominis, sed ex opere Dei; secundùm illud: convertisti me & egi pœnitentiam. Ergo Pœnitentia non procedit ex timore.* Huic argumento sic respondet D. Thomas: *Ad tertium dicendum, quòd ipse etiam motus timoris procedit ex actu Dei convertentis cor. Unde dicitur Deuter. 5. Quis det eos talem habere mentem, ut*

timeant

timeant me? & ideo per hoc, quòd Pœnitentia à timore procedit, non excluditur, quin procedat ex actu Dei convertentis cor. Porrò D. Thomam hoc loco agere de timore, seclusâ Charitate actuali, dubitari nequit; tum quia, ut titulus indicat, agit de timore, qui sit principium pœnitentiæ, quem in decursu articuli vocat timorem servilem, à quo tamquam à primo motu affectus ad hoc ordinato incipit Pœnitentia: tum quia in corpore gradatim enumerans actus ad Pœnitentiam concurrentes, post Fidem enumerat timorem servilem, deinde Spem, ac tandem Charitatem: adde quòd timorem, Spem &c. dicat esse actus, quibus Deo operanti cooperamur. Idem ostendi potest ex eo, quòd D. Thomas agnoscat actum Spei esse supernaturalem, ejusdem autem rationis sit cupere à Deo bonum, & timere malum, seu privari bono: item ex eo, quòd timor sit actus bonus & actus virtutis. In quo rursus D. Thomæ adversatur P. Lupus dicens actum Spei vel timoris, si desit Charitas actualis, esse Judaicam ex lege Justitiam, non autem ex divinæ infusionis dono, seu ex gratia.

225. Objicit P. Lupus pag. 47. ex D. Thoma 2. 2. q. 19. art. 9. *Timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritus Sancti.*

Resp. 1. ut hoc argumentum urgeret, probandum priùs esset, quòd D. Thomas hoc loco agat de illo timore servili, de quo inter nos disputatur. Non agere autem de timore in hoc sensu, persuadent non pauca: nam ejusdem quæstionis art. 6. in argumento, sed contra; *Timor*, inquit, *servilis est donum Spiritus S. ut supra dictum est*: quod videtur intelligendum de timore in sensu nostro, quem eodem articulo dicit, non esse propriè servilem, & distinguit ab alio, qui propriè servilis est. Deinde art. 9. ex quo desumitur objectio, ad quæstionem, an timor sit donum Spiritus S. hac ratione respondet: Dicendum, quòd multiplex est timor, ut supra dictum est. *Timor autem humanus non est donum Dei, hoc enim timore Petrus negavit Christum: sed ille timor, de quo dictum est*; ILLUM TIMETE, QUI POTEST ANIMAM ET CORPUS MITTERE IN GEHENNAM. Ecce timori, de quo disputamus, nempe timori gehennæ à Deo comminatæ, dicit, competere esse donum Dei, quod negat convenire timori mundano. Et statim subdit: *Timor servilis non est enumerandus inter septem dona Spiritus Sancti.* Unde videtur hic loqui de timore servili in alia acceptione. Nisi fortè malis dicere, quòd utrobique loquatur de eodem timore, qui & donum Dei seu Spiritus Sancti sit, adeoque & supernaturalis, non sit tamen de numero illorum septem donorum, quæ speciali ratione vocantur dona Spiritus Sancti, unde

226. Resp.

226. Resp. secundò cum Cajetano in dictum art. 9. quæst. 19. quòd D. Thomas hoc loco agat de dono *prout distinguitur contra virtutem*, adeo ut timor sit virtus & non donum: ex quo quàm perperam inferat P. Lupus; ergo timor non est actus supernaturalis, seu ex gratia; nemo non videt. Cur non similiter intulit tres virtutes Theologicas Fidem, Spem, & Charitatem, eorumque actus, supernaturales non esse? quandoquidem D. Thomas tum hîc, tum clariùs 1.2. quæst. 68. ubi ex professo agit de donis Spiritus Sancti, neget Fidem, Spem, & Charitatem esse dona Spiritus Sancti.

227. Sextò, D. Thomas agnoscit amorem Dei aliquem, per quem ipsi inhæreatur, qui tamen non sit amor amicitiæ, seu Dei propter se sed concupiscentiæ: sic enim loquitur 2. 2. quæst. 17. art. 8. *Spes & omnis apetitivus motus ex amore derivatur; amor autem quidam est perfectus, quidam imperfectus. Perfectus quidem amor est, quo aliquis secundùm se amatur, ut puta cum aliquis secundùm se vult alicui bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor, quo quis amat aliquid non secundùm ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat, sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad Charitatem, quæ inhæret Deo secundùm seipsum. Sed Spes pertinet ad secundum amorem, quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit.* Cum autem ejusdem ferè rationis sit, fugere malum à Deo inferendum, & optare ab illo bonum, fortè D. Thomas non difficulter admisisset, aliquem amorem in timore gehennæ involvi, vel saltem in spe veniæ à Deo obtinendæ, quam Attritio includit. Adde in hoc statu, cum sciant fideles eos gloriam consecuturos, qui pœnas gehennæ evaserint, vix fieri potest, ut quis gehennam fugiat, quin simul desideret gloriam saltem implicitè. Hoc D. Thomæ testimonium hîc adferre volui, ut confirmarem, quæ supra cap. 5. §. 1. num. 64. & 65. ex Laurentio Justiniano & Hugone à S. Victore dicta sunt, ut appareat non rectè adversarios, si quem invenerint, amorem in pœnitentia requirentem, statim sine ulteriori examine tamquam certum supponere, id intelligendum de amore Dei propter se super omnia dilecti.

228. Ex hactenus dictis manifestum est, quòd quoad puncta jam dicta nullum omnino in D. Thoma præsidium reperire possit P. Lupus. Superest ut etiam illa dissolvamus, quæ pro quæstione principali ex D. Thoma profert P. Lupus; quibus probari existimat, D. Thomam cum Sacramento exigere dolorem de peccatis ex amore Dei propter se & super omnia. Quædam petuntur ex 3. parte D. Thomæ quæst. 84. 85. & 86. ad quæ hîc priùs respondebimus, postea ad ea, quæ adfert ex supplemento.

229. No-

229. Notandum primò, quòd D. Thomas dictâ quæst. 85. & 86. agat de pœnitentia, prout virtus est; adeoque, quæ ibi dicit de requisitis ad pœnitentiam, fine ullo fundamento dicuntur requiri ad Attritionem, nisi priùs ostendatur, quòd etiam illis locis agat de Attritione. Quæstione verò 84. licet agat de Sacramento pœnitentiæ, non invenio tamen, quòd in illa distinguat dolorem in Sacramento requisitum, ab eo, qui justificat fine Sarcamento: neque etiam quid simile ex illo nobis opponit P. Lupus.

230. Notandum secundò, quòd D. Thomas in dictis quæstionibus sæpe sumat pœnitentiam determinatè pro Contritione per se justificante: sic quæst. 84. art. 8. quærens, an pœnitentia debeat semper durare, distinguit in corp: duplicem pœnitentiam, interiorem unam, *Quâ quis dolet de peccato commisso*, quam dicit durare debere usque ad finem vitæ; alteram exteriorem, *quâ quis exteriora signa doloris ostendit, & verbo tenus confitetur Sacerdoti absolventi*: & hanc negat durare debere usque ad finem vitæ: tum ad primum argumentum, quo probabatur, pœnitentiam statim delere peccatum ex Ezech: 18. adeoque pœnitentiam non debere durare, sic respondet: *Quamvis igitur homo, in primo instanti veræ pœnitentiæ remissionem consequatur præteritorum peccatorum: oportet tamen in homine perseverare pœnitentiam.* Hoc loco per pœnitentiam intelligit pœnitentiam interiorem, seu actum doloris, ut per se manifestum est, tum ex argumento, ad quod respondet; tum ex corpore articuli: eamque dicit primo instanti suæ existentiæ hominem justificare; atqui hoc non competit Attritioni etiam sumptæ in sensu P. Lupi, ut ipsemet admittit, ergo hoc loco D. Thomas nomine veræ pœnitentiæ comprehendit solam Contritionem per se justificantem, seu ut Attritioni opponitur. Idem colligere licet ex art. 10. ibidem, & rursus quęst. 85. art. 6. in corpore; cum dixisset, quosdam actus laudabiles posse tempore præcedere actum & habitum pœnitentiæ, subjungit: *Actus autem & habitus charitatis simul sunt tempore cum actu & habitu pœnitentiæ*. Atqui actus pœnitentiæ, cum quo simul tempore est habitus charitatis, est actus pœnitentiæ vi suâ justificantis, seu Contritio prout Attritioni opponitur; ergo &c.

231. Atque hinc dissolventur nullo negotio, quæ ex dictis tertiæ partis quæstionibus congerit P. Lupus; cum enim illic agat de virtute pœnitentiæ, adeoque præcipuè de Contritione (prout Attritioni opponitur) illamque asserat statim justificare, quod Attritioni non competit: quomodo ex eo, quòd charitatem requirat ad pœnitentiam, de qua ibi agit, inferri poterit, quòd ipsa etiam Attritio chari

tate formari debeat? cæterùm ex alio prætérea capite non rectè ad hanc rem quædam adfert, ex dicto loco, D. Thomæ testimonia; tale est, quod adfert pag. 31. ex quæst. 85. in quo præcipuè fit mentio de amore Dei propter se dilecti: nam dicto loco D. Thomas enumerat actus ad pœnitentiæ virtutem concurrentes, & post fidem, timorem spem, addit actum charitatis, *Quo alicui peccatum displicet secundùm seipsum, & non jam propter supplicia*. Cum enim hæc Charitas sit actus pœnitentiæ, & quidem excellentissimus, sine dubio enumerari debet, dum quæritur, quinam actus reperiantur in pænitentia, hinc tamen non sequitur, omnem pænitentiam ad hunc supremum gradum debere pertingere, & esse ex Charitate. Vide dicta supra num. 119.

232. Adfert etiam non pauca ex quinque primis quæstionibus Supplementi, ubi agitur dè prima pænitentiæ parte, Contritione. Præcipua sunt ex quæst. 3. art. 1. in argumento *Sed contra:* ubi dicitur, quòd dolor Contritionis fundetur in amore Charitatis: & quæst. 4. art. 1. *Dolor Contritionis à Charitate causatur*. Similia adfert ex quæst. 3. art. 1. in corp. & ad 4. denique ex quæst. 5. art. 2 ad tertium.

233. Resp. perperam hæc omnia adferri; quia author Supplementi agit de Contritione, prout hæc Attritioni opponitur, seu de illa quæ vi suâ justificat. 1. enim quæst. 1. art. 3. quærit, utrum Attritio possit fieri Contritio, & in argumento *Sed contra*, ita loquitur; *Quorum principia sunt diversa omnino, eorum non potest fieri unum id, quod est alterum: sed Attritionis principium est timor servilis, Contritionis autem timor initialis: ergo Attritio non potest fieri Contritio*. Tum statuit hanc conclusionem. *Attritio nullo modo fieri potest Contritio, quam* (nempe Contritionem) *necessariò charitas præcedit*: ubi sine dubio Contritionem sumit, ut est species Attritioni opposita, & insuper Attritionem describit eodem modo, quo passim Authores cum Tridentino, asseritque in ea Charitatem non involvi: quid ergo mirum, quòd in sequentibus afferat ad Contritionem requiri charitatem? quam requiri ad Contritionem Attritioni oppositam (de qua illic indicat se agere) omnes fatemur. Rursus Contritionem Attritioni opponit quæst. 2. art. 6. Secundò Contritionem, de qua illic agit, admittit & supponit per se justificare sine Sacramento: quæst. 5. art. 1. agens de effectu Contritionis quoad remissionem peccatorum in arg. *Sed contra*, ait: *Contritio cordis est sacrificium in quo peccata solvuntur .... Per inordinatum amorem cordis peccatum committitur, ergo per dolorem ex amore charitatis ordinato tantùm solvitur, & sic peccatum Contritio delet.* & rursus art. seq. in argum. *Sed contra* ita loquitur: *Deus plus affectum cordis acceptat, quàm etiam exteriorem actum; sed per exteriores actus absolvitur homo à pœna & culpa, ergo*

& sima-

& similiter per cordis affectum, qui est Contritio. Et ejusdem quæstionis art. 3 in quo quæritur, an parva Contritio sufficiat ad delenda peccata etiam magna; respondet in corpore: *Dicendum, quòd quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad Contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Denique quæst. 8. art. 1. ad 2. *In adultis Contritio cum proposito confitendi & desiderio absolutionis sufficit ad liberandum à morte æterna.*

234. Denique P. Lupus pag. 59. ex D. Thoma probare nititur mirabilem suam & novam Contritionis per se justificantis definitionem; de cujus ratione sit, esse tam perfectam, ut excludat omnes affectus, si non volaticos, saltem affixivos: ad quod adfert ex 2. 2. quæst. 24. art. 8. ubi in argumento *Sed contra*, ex Augustino refert, quòd Charitas, *cum ad perfectionem venerit, dicat: cupio dissolvi & esse cum Christo.* Fateor hanc esse Charitatis perfectionem aliquam, verùm inde inferri non potest; ergo talis requiritur in Contritione per se justificante; quod ne quidem attingit ibi D. Thomas; imò hoc contra P. Lupum facit, quòd ibidem in corpore D. Thomas illam appellet perfectam Charitatem, quando *habitualiter aliquis totum cor suum ponit in Deo: ita scilicet, quòd nihil cogitet nec velit, quod divinæ dilectioni sit contrarium.* Neque magis ad rem facit, quòd D. Thomas ibidem art. 9. distinguat diversos gradus Charitatis nutritæ, roboratæ, perfectæ; hos enim vel similes gradus non in Charitate tantùm, sed & in aliis virtutibus omnes libenter admittunt: sed hinc non sequitur, quòd hanc potius, quàm illam Charitatem requirant ad Contritionem vi suâ justificantem.

235. Adfert etiam in hanc rem quod habetur Supplem: quæst. 5 art. 3. *Resp. quòd Contritio habet dolorem rationis, qui est displicentia peccati commissi, & hic potest esse parvus adeo, quòd non sufficiat ad rationem Contritionis, ut si minus displiceret ei peccatum, quàm debeat displicere separatio à fine, sicut etiam amor potest esse ita remissus, quòd non sufficit ad rationem Charitatis.* Et hanc Doctrinam monet P. Lupus pag. 66. bene notandam; non exprimit tamen, quem in finem, nec video quid ex illa pro se inferre possit P. Lupus.

Nam illo articulo quæritur, an parva Contritio sufficiat ad delenda peccata; & resolvitur, dolorem seu displicentiam de peccato posse esse tam parvam, ut non sufficiat ad rationem Contritionis, nec ad rationem Charitatis, ergo per parvum dolorem seu amorem intelligit illum, qui non sit Dei propter se & super omnia; nam omnis hic amor habet rationem Charitatis, etiam juxta P. Lupum. Et postea subjungit: dicendum, quòd dolor quantumcumque parvus, dummodo ad Contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.

Constat igitur nihil hactenus allatum ab adversariis, quo ostendatur D.Thomas nobis adversari, sed eum in plerisque inter nos controversis à nobis apertè stare. An autem, & quàm clarè nobis faveat circa Attritionis ex metu cum Sacramento pœnitentiæ sufficientiam, videri potest apud authores nostræ sententiæ.

CAPUT XVI.

Respondetur ad accusationes quasdam P. Lupi.

236. PRoposueram cap. 1. tract. de Attritione, doctrinam Tridentini oppositam doctrinæ Lutheri, iisdem propemodum verbis conceptam: utriusque verba dederam, ut manifestum omnibus esset, Concilium tueri, ac defendere illum Contritionis modum, quem Lutherus rejecerat; quod, quia præcipuum est nostræ sententiæ fundamentum, rogatu quorumdam subvertere tentat P. Lupus: quod ut faciat, duplicem in verbis Lutheri referendis commissum à me errorem causatur, alterum per unius vocis additionem, per subtractionem alterum.

237. Ac quoad primum quidem, insigni præfatione, & verborum apparatu utitur, ut ostendat, quàm culpabile sit, verbis authorum adjicere aliquid, aut demere. Sic enim loquitur pag. 71. *Respondeo Monothelitas, Iconoclastas, ac Felicianos, non solùm ob inductas vocum novitates, sed ob vitiata Sanctorum Patrum testimonia fuisse à sextâ, septimâ, & Francfordiensi Synodis meritò damnatos. Est enim grassatio facinorosa. Etiam ab hæreticorum dictis quandoque pendet recti dogmatis aut Synodalis decisionis notitia, adeoque & in ipsa grassari, possit esse facinus. Et talis omnino est adductus contextus Martini Lutheri. Cur ergo Accusator hisce verbis*: ALII VOCANT ATTRITIONEM DISPONENTEM AD CONTRITIONEM, *adjecit vocem*, PROXIME? *An enim ad veram Contritionem servilis Attritio proximè disponat, est non modica quæstio, ejusque negativa pars non caret fundamentis.*

238. Ego, ut verum fatear, ubi primum hæc legi, adeo confidenter scripta, accusationemque tam gravibus & exquisitis verbis adornatam, licet optimè mihi conscius essem, ferè tamen mihi incidisset dubitare, an non fortè (homines enim sumus) per inadvertentiam errassem. Difficulter enim mihi poteram persuadere, fore, ut illud tanto apparatu verborum objiceret P. Lupus, nisi Luthero probè excusso & examinato. Verùm ubi duo diversæ editionis Lutheri exemplaria

plaria inspexi, in iisque reperi vocem *proximè*, prout ex illis descripseram, in admirationem conversus sum, quod adeo inconsideratè P. Lupus me grassationis accusasset. Sub initium defectionis Lutheri impressa sunt, quæ tunc prælo parata habebat Lutherus opera, Basileæ apud Adam Petri anno 1520. mense julio: in qua impressione, Sermone de Pœnitentia pag. 146. ita habetur: *Alii vocant Attritionem proximè disponentem ad Contritionem*: Cujus testis, exim. P. Lupe, oculatus est unus vestri Ordinis S. Theologiæ Doctor & Professor, cui ob ea, ut arbitror, quæ hic objicis, dubitanti de rectè transcriptis Lutheri verbis quoad hanc vocem *proximè*, exemplar illud coram multis postulanti exhibitum fuit, quem gavisus sum habere testem bonæ meæ fidei; & genuinæ citationis. Eadem verba habet exemplar impressum Wittebergæ Typis Zachariæ Lehmanni anno 1582. Curavi etiam in vicinis civitatibus conquiri & inspici exemplaria, si quæ essent diversæ à prædictis impressionis, repertæque sunt duæ insuper aliæ impressiones, una Ienæ ex officinâ hæredum Thomæ Rebart anno 1579. altera Wittebergæ Typis Joannis Luffs anno 1550. & in utraque habetur vox *proximè*, prout citavi: nec ullum potuit reperiri, in quo dicta vocula *proximè* omitteretur; neque, ut arbitror, inveniet P. Lupus. Videamus an justior sit altera accusatio.

239. Alterum, quod circa verba ex Luthero à me descripta carpit P. Lupus, indicat verbis sequentibus: *Longè majus*, inquit, *est, quod verbis Lutheri (sic enim cœpit vocari vera pœnitentia interior) subtraxeris vocem, vera.*

Sic est, ita habet Lutherus: *Contritio (Sic enim cœpit vocari vera pœnitentia interior)* Verum quoque est, in verbis Lutheri à me transcriptis omissam esse vocem *vera*, quod undè factum sit, ignoro.

Magnum enimverò hoc est piaculum, illam vocem omisisse, ubi non pauci, qui contra Lutherum scripserunt, non illam tantùm voculam, sed & totam parenthesim omittunt. Certè, si hic erratum sit, nihil, quod queratur, habet P. Lupus; justè verò eam vocem suo loco restitui postulabunt sententiæ nostræ authores. Nam additio vocis *vera*, tantùm abest, ut P. Lupo aliquid patrocinetur, ut è contra nobis non parùm faveat. Utrumque hic ostendo, simul respondens argumento, quod opponit P. Lupus.

240. Ut probet suâ interesse, vocem illam *vera* non fuisse omissam, ita loquitur pag. 71. *Quidam Lutheri tempore scholastici Doctores Contritionem & Attritionem penes inclusam Charitatem distinguebant. Omnis vera, ex amore Dei formata, interior Pœnitentiæ, erat illis Contritio; solam Attritionem*

servilem donabant toto vocabulo Attritionis. Hinc de voce CONTRITIO *dicit Lutherus (Sic cœpit vocari vera Pœnitentia interior) utique apud scholasticos Doctores.* Sensus P. Lupi, quantum assequor, hic est: apud illius temporis scholasticos, dolor de peccatis ex motivo amoris Dei conceptus communi appellatione vocabatur Contritio; dolor verò conceptus ex motivo timoris gehennæ citra Charitatem, Attritio. Lutherus autem, dum dixit, *Contritio (sic enim cœpit vocari vera pœnitentia interior)* vocem illam *Contritio* usurpavit juxta communem tunc acceptionem, nempe pro dolore ex motivo amoris Dei, & prout est species distincta ab Attritione ex motivo metus conceptâ.

241. Resp. vim totam discursus hîc à P. Lupo facti evanescere, si tantummodo inspiciatur dictus Lutheri locus, quem propterea per compendium hîc rursus exhibeo. *Contritio*, inquit *(sic enim cœpit vocari vera pœnitentia interior) duplici via paratur. Primò per discussionem &c. Quâ quis recogitat annos suos ...... ponderando ...... amissionem æternæ beatitudinis*, AC ÆTERNÆ DAMNATIONIS ACQVISITIONEM ..... *Hæc autem Contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem, quia* SOLVM TIMORE PRÆCEPTI, ET DOLORE DAMNI *id facit. Et tales omnes indignè absolvuntur .... imò, quò magis* TIMORE POENÆ ET DOLORE DAMNI *sic conteruntur, eò magis peccant ..... & hæc est illa Contritio, quam vocant* ATTRITIONEM. *Secundò paratur per intuitum & contemplationem speciosissimæ justitiæ .... Hæc facit verè pœnitentem, quia amore justitiæ id facit, & hi sunt digni absolutione.* Ecce Lutherus Contritionis, prout vocari cœptam asserit veram pœnitentiam, duplicem assignat speciem; primam, quâ quis de peccatis dolet seu conteritur *timore pœnæ & dolore damni*, & hanc affirmat ab aliis vocari Attritionem, eamque rejicit tamquam cum Sacramento insufficientem, imò & planè reprobandam. Alteram verò speciem, quâ quis pœnitet *amore justitiæ.* Quando igitur dicit: *Contritio (sic enim cœpit vocari vera pœnitentia interior)* non accipit Contritionem seu veram pœnitentiam specificè pro solo dolore, qui concipitur ex amore Dei, & prout Attritioni ex motivo metus opponitur; sed sumit Contritionem, prout genus est respectu hujus & illius speciei, in quas Contritionem partitur, nempe respectu pœnitentiæ ex motivo metus, & alterius ex motivo justitiæ; expressè addens priorem ex illis vocari ab aliis (nempe Catholicis) Attritionem. Quomodo igitur videri P. Lupo potuit, Lutherum per Contritionem, de qua ibi agit, intellexisse solum dolorem ex amore Dei, & prout ab Attritione ex metu distinguitur? Quis hinc non videat, frustra P. Lupum diverticula quæsivisse circa illam vocem *vera*, quæ sive adsit sive absit, nihilo plus minùsve illi faveat hoc testimonium.

242.

242. Quin ulteriùs additio illius voculæ *vera* nobis favet contra P. Lupum, quod hac ratione conficio. Lutherus ex duabus contritionis speciebus, quas dicto loco recenset, unicam illam, quâ quis dolet ex *amore justitiæ*, agnoscit ut veram & legitimam pœnitentiam: *Hæc*, inquit, *facit verè pœnitentem*. Alteram verò, quâ quis conteritur *timore pœnæ & dolore damni*, tantùm abest, ut admittat tamquam veram & legitimam pœnitentiam, ut etiam asserat hominem per illam constitui *hypocritam, imò magis peccatorem*. Ergo, dum initio dicit Lutherus Contritionem (quo nomine vocari cœpit vera Pœnitentia) esse duplicem, quarum altera concipiatur metu pœnæ; non loquitur ex sua sententia, sed ex sensu illorum, contra quos disputabat, nempe Catholicorum: ergo fatente Luthero Catholici agnoscebant duplicem Contritionis speciem, alteram ex amore, ex metu gehennæ alteram: nomine autem Contritionis intelligebant veram pænitentiam interiorem; & per consequens pœnitentiam, quâ quis conteritur *solum timore præcepti & dolore damni*, sive, ut ibidem dicit, *timore pœnæ*, quæ est prima species Contritionis illic à Luthero descriptæ, admittebant Catholici tamquam *veram pœnitentiam interiorem*, & in hoc graviter illos ibidem incusat Lutherus, & ab iisdem omnino dissentit P. Lupus, dum dolorem de peccatis ex timore gehennæ citra Charitatem seu amorem justitiæ conceptum, appellat Contritionis ac pœnitentiæ fucum, Pœnitentiam Judæ &c. Ut omittam hîc, quòd dicat non posse talem pœnitentiam concipi, nisi adjuncto mortali, imò & ipsam peccatum mortale esse, ut supra ex P. Lupi dictis manifestè evicimus. Ecce casu, nescio quo, omisi voculam *vera*, quæ non parùm serviebat instituto nostro: unde non habuit P. Lupus, quod de illius omissione justè queratur, cum nostrâ potiùs, quàm illius intersit, eam ab initio additam fuisse.

243. Tertium, quod carpit, est: Dixeram in Tractatu de Attritione, *Ut cum suo Iuliano pronuntiat* P. *Lupus*. Ad hoc reponit P. Lupus pag. 41. *Nempe quis sit hic Iulianus, homo ignorat*. Licet id ex ibi à me dictis non rectè collegerit P. Lupus, bene divinavit; sic enim est, homo ignoravit, quis esset hic Julianus Pomerius, & qui illius de vitâ contemplativâ commentarii. Consului Bellarminum, Baronium, aliosque, nec reperire potui illius Authoris hoc titulo lucubrationes. Sciebam libros de vitâ contemplativâ inter opera S. Prosperi passim reponi, &, quin illius sint, à Bellarmino aliisque in dubium non revocari, & ita, fatente hîc P. Lupo, senserunt plures antiqui. Quid mirum ergo, si homo ignoravit, qui essent Juliani de vitâ contemplativâ libri? Quis

sit hic

sit hic Julianus Pomerius, docere nos ex Sirmondo aggreditur P. Lupus; *Fuit*, inquit, *vir Afer*, *deinde Presbyter*, *& Arelatensis Abbas. Est non mei solius, sed totius Doctor Ecclesiæ.* Si talis est, cur adeo liberè, non quæsitâ commodâ illius Doctoris Ecclesiæ explicatione, quæ facilè poterat reperiri, si examinasses, quid per timorem servilem intelligat, aliaque sæpe à nobis commemorata; cur, inquam, in Dissert: Dogmat: pag. 74. pronuntias: *Julianus Pomerius, gehennæ metum dicens esse in vitio, non est bene locutus.* Hæc dum legi, curæ mihi non fuit, ea quæ ex Juliano Pomerio depromebantur, dissolvere: credebam enim lectorem facili negotio ad illa, quæ ex ipso adferuntur, applicaturum eam solutionem, quâ utitur ipse P. Lupus, *Iulianus Pomerius non est bene locutus.* Neque, ut arbitror, difficulter veniam dabunt hujus Academiæ Doctores, hâc solutione utenti, quando in eâ præivit P. Lupus: licet sat sciam, impunè non fuisse abiturum, si quis alius ad Doctoris Ecclesiæ testimonium primus respondisset, *non est bene locutus.* Cæterùm, quæ ex libris de vitâ contemplativâ adduxit P. Lupus, sive ii sint S. Prosperi, sive Juliani Pomerii, facilis est responsio ex hactenus dictis, quare opus non est ad ea sigillatim respondere; id fecissem, si tamquam S. Prosperi fuissent adducta.

244. Quartum de quo queritur, habes pag. 8. Epistolæ, ubi ita loquitur: *Ex dicta Societate nescio quis Clericus, meam de Christiana Contritione dissertatiunculam multis circumvestivit fœdorum errorum, & calumniarum pannis, atque ita projecit in vulgus, vociferans me sentire cum Cornelio Jansenio, imò & cum Martino Luthero.* Verùm immeritò de me conqueritur P. Lupus, quasi ejus scripta circumvestiverim errorum pannis, qui nihil aliud egi, quàm officinam indicare, in qua ejusmodi laciniæ prostant venales. Sententiam singulorum propriis ipsorum verbis exposui: si inter illas est omnimoda consonantia, mihi id imputari non debet; sin autem; quid inter se discrepent, ostensum oportuit; quod adeo non fecit, ut suam cum illis, à quibus videri vult dissentire, consensionem longè clariùs in Epistola Familiari manifestaverit, prout in hoc tractatu à nobis ostensum est. Sanè Lutheri sententias non potui non recensere, quòd id non conveniens tantùm, sed & propè necessarium esset, ad Tridentinæ Synodi in suis definitionibus mentem clariùs intelligendam.

245. Affine huic est, quod variis locis repetit, quasi ejus sententiam vocassem dogma Jansenianum, aut Lutheranum, vel, qui illam tenent, Jansenianos aut Lutheranos. Verùm id ego nullibi dixi, sed tantùm ostendi diversas P. Lupi sententias cum horum doctrina consentire;

sentire; quod longè aliud est, quàm ipsum aut ejus sensum vocare Lutheranum, ut tradit ipse P. Lupus pag. 31. ubi cum retulisset à me dictum, illam opinionem *esse Cornelii Jansenii ac Martini Lutheri*; subjungit: *Respondeo, non quidquid Jansenius ac Lutherus dixere, Jansenianum esse ac Lutheranum*: & ibidem probare pergit, multa in hæreticis, schismaticis &c. reperiri, quæ minimè sint improbanda. Hoc tamen responsum non credit quadrare omnibus à me ex Jansenio, & Luthero recensitis, quibus P. Lupum consentire ostendi; aliàs enim non dixisset pag. 8. quòd ejus dissertatiunculam multis circumvestiverim errorum ac calumniarum pannis. Quod si ita est, exigebat profectò instituta disputatio, ac responsio, ut inter eas Lutheri opiniones, quas ex ipso recensui, tamquam doctrinæ P. Lupi consentientes, quænam leprosæ sint, aut erroneæ, designaret; quantùmque ab his abhorreat ac recedat, palàm faceret; quod ne in uno quidem puncto inter nos controverso illum præstitisse, satis superque in præcedentibus ostendimus; & rursus sequenti capite prosequemur.

CAPUT XVII.

Respondetur ad ea, quæ circa mentem Lutheri quoad puncta controversa adducit P. Lupus.

246. VAriis Epistolæ suæ Familiaris locis P. Lupus de Lutheri erroribus sermonem instituit, sed sæpè diversis à quæstione nostra, imò, quod Lutherus de Attritione ex metu pronuntiat, vult ab illo dictum de alio actu, ac sæpè repetit, mendacem ac calumniatorem fuisse, dum asseruit à Catholicis tradi dolorem ex solo motivo metus gehennæ sufficere ad justificationem cum Sacramento. Quæ omnia hîc breviter refutabimus.

247. Primò multos ac varios recenset Lutheri & Lutheranorum errores Epist. cap. 2.; ut, quòd Lutherus asserat, fidem esse Pœnitentiæ partem; quòd fidem illam statuat esse vanam illam & præsumptionis plenam fiduciam de remissis certò peccatis; Quòd opera nostra excludat à causalitate dispositiva ac præparativa ad justificationem; Quòd negaverit satisfactionem, aliosque; qui cum omnibus noti sint, & ad institutum nostrum non faciant, quid opus erat iis recensendis inhærere? Si libebat errorum Lutheri catalogum contexere, poterant longè plures enumerari; ut, de libertate ad meritum & demeritum requisitâ, de possibilitate præceptorum &c.

248. Secundò, paulò propiùs ad rem accedens; *Lutherus*, inquit pag. 44. *omnem imperfectam charitatem garrivit esse vitiosam*, *ac peccaminosam*,

ſam, ſaltem venialiter, adeoque & omne ex ipſa profectum opus bonum, eſſe tale. Idem repetit P. Lupus Epiſtolæ pag. 45. 46. 68. 71. & alibi. Quia nempe Lutherus, ut patet, ex articulo 31. & 32. per Leonem X. damnatis, aſſeruit, *in omni opere bono juſtum peccare: & : Opus bonum optimè factum, eſſe veniale peccatum:* quod Lutherus in aſſertione articulorum per dictum Pontificem damnatorum, non ſolùm admittit à ſe dictum, ſed & rurſus fuſiùs probat, malitiam illam deſumens à pravâ hominibus innatâ concupiſcentiâ. Aſſeruit igitur Lutherus, in omni actu & opere bono juſti, adeoque in omni non tantùm imperfectâ, ut reſtringit P. Lupus, ſed quâcumque, quæ à viatore elicitur, charitate peccari, ſaltem venialiter. Cur autem hunc Lutheri errorem adeo ſæpe inculcet, & quid ex eo in ſuæ ſententiæ, de qua diſputamus, favorem derivare conetur P. Lupus, patebit ex dicendis num. ſequenti.

249. Tertiò igitur, quæ Lutherus docuit de Attritione concepta ex metu, tamquam immediato & ultimo motivo, explicat P. Lupus, ac ſi dicta à Luthero eſſent de dolore, qui ſit ex motivo charitatis, quem, quia ex prævio actu timoris ortum duxit, & per eum introductus eſt, vult eſſe Attritionem ex metu: juxta dicta ſupra num. 179 & in priore tractatu cap. 8. §. 2. Ac proinde, quæ definit Tridentina Synodus, vult cadere in Lutheri errorem circa actum charitatis, qui ex prævio & jam expulſo metu traxit originem. Hinc Epiſt. pag. 46. in fine, cum dixiſſet, Lutherum quibuſdam Patrum verbis deceptum, aſſeruiſſe imperfectam charitatem inſufficientem eſſe ad Pœnitentiam, ſubdit pag. 47. hunc errorem confixum eſſe à Tridentina Synodo, *definiente, etiam imperfectam, licet ex gehennæ aut aliarum pœnarum metu, ſeu aliis ignobilibus ejuſmodi viis paratam & conceptam Contritionem, dummodo à Christianæ Reconciliationis Sacramento adjuvetur, omnino ſufficere ad juſtificationem.*

250. Reſp. P. Lupum, ſicut ad hæc verba Tridentini ſeſſ. 14. cap. 4. *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam ..... ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur*; hanc gratis & ſine fundamento excogitavit explicationem; quòd nempe illic ſermo ſit, non de actu, cujus motivum ſit ſolus metus, ſed de alio actu habente charitatem pro motivo, qui ideo dicatur eſſe ex metu, quia per prævium timorem eſt introductus; vide dicta ſupra cap. 11. quæ explicatio adeo nova eſt, ut ne unum quidem in Epiſtola familiari Authorem proferre potuerit, qui dicta ſic expoſuiſſet, ut ſic novitatis notam ſibi impactam amoliretur; ita quoque hîc verba Lutheri ex Sermone de Pœnitentia, quæ refert pag. 71. conatur in eundem ſenſum trahere; quaſi illic Lutherus egiſſet non de actu, cujus motivum ultimatum ſit timor,

ſed

sed de alio, qui pro motivo habeat charitatem, qui tamen ex prævio timoris affectu ortum habuerit: quæ explicatio alienissima est & à verbis ipsis Lutheri, & ab omnibus passim Catholicis, qui illum de actu, cujus unicum motivum est timor, intellexerunt.

251. Ac primò quidem, quòd Lutherus in Sermone de Pœnitentia non egerit de actu amoris ex timore procedente, manifestum est ex Lutheri verbis summatim relatis num. 241. in quibus agit de dolore concepto *solùm timore præcepti & dolore damni*, quo *timore pœnæ & dolore damni conteruntur*. Deinde hunc dolorem dicit vocari ab aliis (nempe Catholicis) Attritionem; per Attritionem autem intelligebant Scholastici Doctores Attritionem servilem, ut asserit ipse P. Lupus relatus num. 240. Præterea rationem, ob quam rejicit illum dolorem ex metu, totâ illâ concione, hanc adfert; quòd, qui ex metu detestatur peccata, invitus & renitenti animo id faciat, ob remanens desiderium peccandi, si metus mali abesset, quòd sit impossibile odisse malum, nisi contrarium bonum diligas; quòd autem ex dilectione boni oppositi sponte, & nullo labore oriatur odium peccati & detestatio mali; per hunc amorem justitiæ reddi pœnitentiam dulcem &c. quæ fusè illic prosequitur; addens illum esse verè pœnitentem & dignum absolutione, qui *amore justitiæ* pœnitet. Atqui actus de quo loquitur P. Lupus, licet ortum duxerit ex prævio timore, est verissimè actus conceptus amore justitię seu Dei, æquè ac si timor prævie non præcessisset; non est actus, quo *solo timore præcepti, timore pœnæ, dolore damni &c* homo conteritur; sed fit amore justitiæ, dilectione boni &c. Ergo jam non est actus ille, quem primo loco recenset Lutherus, qui faciat hypocritam, & magis peccatorem, quemque pronuntiat insufficientem; sed est Contritio amore justitiæ, de quo secundo loco agit Lutherus, qui faciat verè pœnitentem, & dignum absolutione.

252. Secundò, quòd Lutherus egerit de Attritione, seu Pœnitentiâ, quæ fit ex metu tamquam motivo ultimato sine amore, fatetur ipse P. Lupus, dum passim in Lutherum invehitur tamquam mendacem & calumniatorem; eò quòd asseruerit, Catholicos tradere, quòd Attritio è solo motivo metus sufficeret cum Sacramento. Ita contra Lutherum P. Lupus pag. 15. sub initium, pag. 25. circa finem, & alibi: & pag. 26. damnat Canum, tamquam qui Lutheranam de Ecclesia calumniam in hoc puncto verificaverit. Quæro à P. Lupo, ubinam Lutherus accusaverit Catholicos, quòd traderent pœnitentiam ex solò motivo metus sufficere ad justificationem cum Sacramento? Certè præcipuè in hoc Sermone de Pœnitentia, ubi fusè & ex professo agit

de ea Pœnitentia quæ à Catholicis vocabatur Attritio, & de ejuſdem motivo, nempe metu, eamque Contritioni, quæ ex amore juſtitiæ eſt, opponit; hanc ſdam aſſerens reddere dignos abſolutione, illam verò minimè: ergo fateri debet P. Lupus, Lutherum hîc agere de Attritione, quæ pro motivo ultimato habeat metum gehennæ, & accuſare Catholicos, de traditâ illius cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficientiâ. Conſequentia et manifeſta, quia juxta P. Lupum in ea accuſatione impoſtoris & calumniatoris partes egit Lutherus: ſi autem Catholicos accuſaſſet in hoc, quòd traderent ſufficere cum Sacramento actum amoris, qui ex prævio timoris actu originem duxerit, non poſſet P. Lupus illum in eo mendacii & calumniæ arguere, niſi ſimul fateretur, Catholicos illius temporis non docuiſſe, ſufficere cum Sacramento actum dilectionis Dei propter ſe & ſuper omnia, qui per actum timoris prævium ſit introductus; adeoque niſi ſecum ipſe pugnaret. Breviùs: Mendaciter & calumniosè juxta P. Lupum accuſavit Lutherus Catholicorum doctrinam de Attritione, ejuſque cum Sacramento ſufficientia. Atqui, ſi locutus fuiſſet Lutherus de Attritione in eo ſenſu in quo illam explicat P. Lupus ſupra num. 249. non fuiſſet mentitus nec calumniatus Catholicos, ut fateri etiam cogitur P. Lupus: ergo egit de Attritione in ſenſu noſtro, conceptâ nimirum ex ſolo metu, prout etiam clarè indicat totus Lutheri contextus.

253. Tertiò, ea quæ tradit Lutherus in Sermone de Pænitentia, de metu & dolore inde concepto, tum ii qui Lutherum oppugnarunt, tum alii illos ſecuti, ad hæc uſque tempora, intellexerunt de actu, cujus motivum eſſet metus ſecluſo motivo charitatis. Ita intellexit Luthero coætaneus Euſtachius de Sichenis Ord. S. Dominici, hujus Academiæ Doctor, in ſua confutatione errorum Lutheri, qui vel omnium primus, ut refert Valerius Andreas, vel ſaltem è primis ſtylum in Lutherum acuit: eodem modo intellexere Latomus, Tapperus, Fiſſcherus, Stapletonus, & qui ſecuti ſunt reliqui.

254. Quartò denique errorem illum Lutheri, quòd in omni bono opere juſtus peccet, adeoque etiam dum Charitatem Dei elicit, alibi anathematizat Tridentinum: Seſſ. verò 14. c. 4. & can. 5. agit contra ea, quæ de timore, conceptoque inde peccati dolore tradidit in Sermone de Pœnitentiâ Lutherus, ut ex verbis inter ſe collatis redditur manifeſtum. Ergo ad præſens punctum impertinens eſt, quòd Lutherus ſenſerit, juſtum in omni opere, ſeu omni actu peccare, ſaltem venialiter.

F I N I S.

Errata ſic corrige. *Pag. 19. lin. 23. ſi*, lege, *ei Pag. 20. lin. 3. ſic* l. *hic Pag. 87. lin 2. incipiant*, l. *incipiat*.

